

laude functus est. Multa scripsit Philosophica, atque Theologica Opera; quæ tantum solidissimæ doctrinæ pondus apud omnes, præcipue sui Ordinis Fratres habuerunt, ut ex eorum sanctione cautum sit, ut nonnisi Ægidii doctrina penes eos haberi possit. Generali Viennensi Concilio interfuit; ac tandem sapientia, & pietate clarus obiit Avenione die 22. Decembris 1316. atque inde ejus corpus Lutetiam Parisiorum delatum, in Ecclesia Ordinis sui sepultum est: in cujus tumulo hæc Epigraphæ legitur: *Hic jacet aula morum, vitæ munditia, Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus Commentator, Clavis, & Doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, Frater Ægidius de Roma Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, qui obiit A.D. 1316. die 22. mensis Decem.* Ejus elogia vide apud Sabellicum Tom. 2. Ennead. 7. lib. 9. Cornelium Curtium in Elog. Vir. illustr. Ord. S. Aug. Joseph. Pamphil. in Chron. August. Trithemium, Bellarminum, &c.

A L F R E D

Cognomento *Philosophus*, natione Anglus, ab omnibus sui ævi scriptoribus valde commendatus, nedum in Anglia, sed etiam in Gallia, & Italia, quas peragravit, virtute cunctis celebratus, secta Peripateticus, seculo 13. floruit. Romæ diu vixit apud Cardinalem Ottobonum, cui familiaris fuit: quem etiam in Angliam Legatum à Clem. IV. missum secutus est an. 1268. ubi paulo post obiit. Scripsit *lib. 5. in Boëthium de Consol. Philos. lib. 4. in Aristot. Meteora: lib. 1. de Vegetabilibus*. Scripsit quoque *De Naturis Rerum. De Educatione Accipitrum. De Motu, seu Vita Cordis, &c.* Vide Balæum, & Pitseum de Script. Angl. &c.

STEPHANUS LANGTONUS

Anglus, Gymnasii Parisiensis Magister, & Cancellarius, atque secularis Canonicus ad ædem S. Mariæ primum fuit. Deinde ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis Tit. S. Chrysogoni an. 1206. ac tandem in Patria Archiepiscopus Cantuariensis factus est an. 1207. in qua dignitate admodum senex obiit an. 1228. Scripsit *Commentarios in singulos Vet. Test. libros, & in Epistolas Divi Pauli*, atque alia plura, quæ in Bibliothecis Anglicis, alibique MSS. servantur. De eo ita Joh. Balæus: *Stephanus Langton Anglus ad literas natus, Gymnasii Parisiensis Magister in Theologia, & ad fanum D. Mariæ Canonicus secularis, ac tandem supremus ejus studii Cancellarius, in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore habebatur secundus. Utramque Theologiam, & Scholasticam, & Interpretativam ingenio callidus, novo prælegendi genere per subtilitates docuit, &c.* Et Joh. Pitseus: *Nemo Scholasticus subtilitates sive in Theologia, sive in Philosophia clarius illo explicavit, &c.* Sixtus Senensis in Biblioth. Sanct. 1. 4. *Stephanus Anglicus, Gymnasii Parisiensis quondam decus, & rector, in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, atque in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus, Theologiam multis annis gloriose docuit, &c.* Vide etiam Polyd. Virg. lib. 15. Hist. Angl. Voss. Trith. Spond. &c.

ROBERTUS GROSTEST

EX capitis crassitudine dictus à Gallis *Grotest*, ideoque a Latinis *Testa Grossa*, & *Capito* nuncupatus, *Infirmis in Anglia parentibus natus in Comitatu Suffolcensi Diœcesis Norwicensis. Vir crassi quidem capitis, sed subtilis*

ingenii, magni cerebri, majoris judicii. Postquam humaniores literas, & omnes ingenuas artes cum principiis Philosophiæ percepisset in Patria secundum morem, qui tum apud Anglos inoleverat, ad perdiscendas linguas, & altiora studia capessenda, regiones exteras petiit. Et cum jam in Galliis diu studisset, & in literis uberes progressus fecisset, reversus in Angliam, supremam Oxoniæ in Sacra Theologia lauream accepit. Nec immerito. Erat enim Latine, Græce, & Hebraice insigniter eruditus; Philosophorum etiam, & Theologorum sui temporis facile princeps. - - - Ad quam eminentem doctrinam accessit pietas, modestia, prudentia, sobrietas, temperantia, omnesque virtutes, quæ viros magnos & decent, & faciunt. Quorum omnium intuitu, accedente Sacerdotali Ordine, primum ad Archidiaconatum Leicestensem, deinde ad Episcopatum Lincolnensem assumtus est. Ita Joh. Pitseus. Obiit doctissimus hic Præsul an. 1253.

Scriptit Tractatus, ex Pitsei numeratione, plusquam ducentos; ex Thom. Fuller. lib. de reb. præclaris Angliæ, non pauciores quam trecentos. Ex iis præcipui sunt *Commentarius in Libros Posteriorum Aristotelis*. *Compendium Sphære Mundi*. *Commentarii in Sacra Biblia*. *Tractatus Theologici*. *Epistolæ*. *Opuscula plura*; atque alia multa, quæ MSS. existant in Biblioth. Anglicis. Matth. Paris in Vita Henr. III. refert, Robertum Testamenta 12. Patriarcharum de Græco in Latinum fideli interpretatione transtulisse: cujus operis notitia ad Divum Hieronymum, ac reliquos Sacros Interpretes, Hebræis malitiose ipsum occultantibus, non pervenerat. Ex Anglicis etiam Scriptoribus habemus, Robertum in *Logica*, & *Astrologia* plurima commentatum esse. Et Franc. Goduvinus addit: - - - In *Astronomia*, & *universa Philosophia* adeo supra communem Doctorum sortem eruditus, ut artis *Magiæ*, & *execrandi cum cacodæmone consortii* apud sciorum vulgus reus perageretur. Quod in tam rudi, barbaroque seculo minime mirandum est. Tandem Sixtus Senensis Biblioth. Sanct. lib. 4. sic bene de ipso sentit: *Rupertus Lincolnensis, cognomento Grossa Testa, inter Philosophos, & Theologos sui seculi primum locum adeptus est. Ingenii acumine subtilissimus, eloquio brevissimus, & sententiarum pondere copiosissimus*. Vide Pitseum, & Balæum de illustr. Script. Angl. Possevinum, &c.

BONIFACIUS DE MARINIS

Genuensis in fine sec. 13. circa annum scil. 1295. vixit, ac magnam in Philosophia famam adeptus, celebris sui ævi Philosophus habebatur. Quod vel ejus Opera ostenderunt, præcipue *Liber de confusione Linguarum*; & *Liber de Secretis Naturæ*. Vide Soranum de Script. Ligur. p. 65.

HENRICUS GANDAVENSIS

AGandavo, quæ vulgò Gallis Gand, Italis Gante, Caroli V. Cæsaris patria, magna totius Flandriæ Metropolis est, ubi natales habuit, cognomen obtinuit. Ejus familiæ proprium, & gentilitium nomen fuit Goëthals, hoc est, Bonicolli, sive, ut Marcantio placet, Mudan. Doctor fuit Parisiensis, & ob raram tum ingenii præstantiam, tum virtutum eminentiam, *Doctor Solemnis* dicebatur. Clarissimorum virorum de eo testimonia congeffit Hieronymus Scarparius Ferrariensis. Unum proferam, quod habet Tritemius de Script. Eccles. ad an. 1293. *Henricus de Gandavo Archidiaconus Tornacensis, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis inter omnes doctores sui*

sui temporis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica valde subtilis, tantæ opinionis, & autoritatis in Gymnasio Parisiorum extitit, ut Doctor solemniter per totum Christianum orbem vocatus sit. Erat ingenio subtilis, & in disputationibus Scholasticis acutissimus; quod præclara ejus restantur opera. Vide etiam Ger. Joh. Vossium de Hist. Lat. lib. 2. cap. 60. & Henrici Vitam, ejus Operibus appositam ab Archangelo Piccionio Veneto, qui ea Venetiis recusa publici juris fecit 1613. in quibus etiam, sed nullo autorum testimonio, asserit, Henricum Alberti M. discipulum fuisse. Creditur tamen à Cozzando, & aliis, Scoti præceptor extitisse: sed de hoc mox sermo redibit. Obiit 8. Septembris 1293. ætatis verò 76.

Scriptit Henricus *Tractatum de Viris illustribus*, qui nihil est aliud, quam continuatio Catalogi, quem S. Hieronymus, & Sigebertus dederant: quem *Tractatum Le Mire Bibliothecæ Ecclesiasticæ* inseruit. Inter ejus Opera recensentur quoque *Theologica Quodlibeta*, & *Summa Quæstionum Theologicarum ordinaria: Summa de Pœnitentiâ: Quodlibetum de Mercimoniis, & Negociationibus*, &c. P. Archangelus Gianini in *Annal. Servitarum*, ipsum Monachum ex horum Ordine facit: quod doctis, & criticis non arridet. Vide etiam Possevinum, Gesnerum, Sixtum Senensem, &c.

SCHOLASTICI REALES SCOTISTÆ, QUORUM PRINCEPS

JOHANNES DUNS SCOTUS

Inter Scholasticos Reales secundum sibi locum vendicant Scotistæ, tale ab hujus Sectæ Autore nomen sortiti. De Scoti tamen patria ingens inter autores quæstio est, non secus, ac de Homeri patria; de qua in Anthologia scriptum legimus:

Ἐπὶ τὰ πόλεις μάρτυρον σοφῶν διὰ τὴν Ὀμήρου.

Hinc non immerito Thomas Lansius in Orat. pro Britan. pag. 471. ait: *Homeromajor, utpote cum de eo non Civitates, sed Regna contendant. Anglis vere suum, Hibernis suum, Scotis suum, suum quoque Civem Gallis, & Italis adseverantibus*, &c. Phil. Labb. de Script. Eccles. eum Scotum facit, illosque reprehendit, qui ipsum alibi natum asserunt; ait enim: *Johannes Duns, natione Scotus, natus in Vico Duns, octo mille passibus ab Anglia distante (neque enim audiendi, qui cum Cavello, Thadæo, Wadingo, Arturo, &c. Hibernum asserunt, Duni in Ultonia natum, aut qui cum Camdeno, Balæo, & aliis, Anglum fuisse contendunt, ortum Dunstonæ in Parochia Emildonensi in Northumbria) Ordinis Minorum, Doctor Subtilis nuncupatus. Idem sentit Hornius, eumque Mertonensem Alumnum fuisse ait. Contra vero cit. Cavellus in Vita cap. 1. & Wadingus in Annal. Min. ad an. 1260. acriter contendunt, Johannem Scoti cognomen non à Scotia sortitum esse, sed ab Hibernia (sic Cæsar eam insulam vocat, Britannicæ vicinam, quam Mela Iverniam, alii Iberniam, Strabo Iernem, vulgus Irlandiam) quæ tunc Scotia dicebatur, cum pars illa Britannicæ, quæ nunc Scotia dicitur, Albania vocabatur: Duns verò dictum non à Scotiæ Vico Duns, sed à Duno, inclyta Hibernicæ civitate.*

Scotum Henrici Gandavenis discipulum asserit Marsilius Ficinus Comment. in cap. 8. lib. 3. de substantiis cognoscentibus, Plotini Ennead. 5. his verbis: *Jam vero & Avicenna, & Henricus, magnus Scoti Præceptor, natura Platonius, intellectuales formas in intellectu, vel anima, sive ingenitas illi, sive huic acquisitas non tam modo characterum, quàm habitus cujusdam naturalis*

*ralis inesse putant. Quo quidem habitu animus ad hoc, vel illud facile sese vertat. Verùm Morery in Lex. Magn. Hist. verbo Duns, Scotum Guilhelmi Varron Angli, in suo Minorum Ordine Doctoris inclyti, discipulum fatetur; eosque refellit, qui eum Alexandri de Ales auditorem affirmant. Scotus in Parisiensi Academia celebris fuit. Multi eum Doctoris Subtilis cognomen ex eo adeptum asserunt, quòd portentosa suæ mentis subtilitate vel maximas etiam in Philosophia, & Theologia difficultates resolvebat: unde de ipso Thom. Lansius loc. cit. ait: *Jobannes Scotus in Dialectica, & spinosa Theologia ad miraculum doctissimus, Doctoris Subtilis titulum promeruit, & novam Scotistarum Sectam condidit: alii vero sic dictum putant, quod B. Virginis Conceptionem omnium maxime & solidissimis rationibus defenderit.**

Scotus D. Thomæ in plerisque Antagonista, ex omnium fere sententia, fuisse traditur. Quam opinionem refellere videtur Matthæus Ferchius Veglensis in Patavina Universitate Professor in Apologia pro Scoto lib. 3. n. 12. ajens: *Præterea Scoti Antagonistæ speciales fuere duo: Scotus enim se Henrici Gandavensis, & Gulielmus Ockham se Scoti constituit Antagonistam.* Pro primis est Hornius Hist. Philos. lib. 6. c. 4. ubi ait: *Præcipue Thomam sibi impugnandum sumisit tanta subtilitate, ut in illo Scholastico dicendi genere nihil acutius, nihil accuratius, nihil absolutius sit. Cui si tempora elegantiorum cultum non invidissent, summis proculdubio in Philosophia viris accenseri potuisset.* Et quidem nulli dubium est, ne dum Scotum Divo Thomæ in plurimis contradixisse, sed etiamnum Scotistas, & Thomistas in mutuo verborum, ac opinionum conflictu perdurare.

Vulgaris fabella est, Scotum in Ecstasim, familiarem morbum, lapsum eum à discipulis pro mortuo haberetur, elatum, sepultumque adhuc vivum fuisse. Quæ Pauli Jovii, Latomi, & Bzovii sententia est: quam secutus videtur Thom. Lansius loc. cit. ubi ait: *Sed vitæ exitu infelix, quippe Apoplexia correptus, & nimis festinato funere elatus, cùm redeunte vita serò morbi impetum natura discuteret, frustra miserabili mugitu opem petens, & diu sepulcri lapidem pulsans, tandem in ipso sepulcro fessam animam elisit: Sed anilem hanc fabulam ab ejus inimicis inventam jam omnes docti, ac exacti critici damnarunt. Unde Hornius ipse l. c. ait: *Quod fabulosum esse contendunt illi, qui nuper opera ejus omnia publicarunt.* Obiit autem Coloniae 8. Novembris 1308. ætatis suæ 33. vel 35. ut alii tradunt. Hoc autem ejus tumulo Epitaphium, vulgari opinioni alludens, positum est, autore Jano Vitale Panormitano:*

*Quod nulli ante hominum accidit, Viator,
Hic Scotus jaceo semel sepultus,
Et bis mortuus; omnibus Sophistis
Argutus magis, atque captiosus.*

Ejus Opera Tom 12. in fol. edita Lugduni 1639. cum ejusdem Vita à Wadingo scripta, & illustrium autorum de eo testimoniis; optima censentur. Vide etiam præter cit. autores, Pope Blount in Cens. Cel. Aut. ubi Bellarminum, Sixtum Senensem, Pitsæum, Cardanum, Jul. Cæs. Scaligerum, & Erasmus laudantes invenies: objurgantes verò Balæum, & Verderum.

ANTONIUS ANDREAS

SCoti discipulus, natione Hispanus ex Aragonensi provincia, Ordinis Minorum Monachus, sec. 13. floruit, ac magnam sub tanto Magistro in Philosophia, ac Theologia gloriam adeptus est. Hoc autem potissimum testantur
ejus

ejus præclara *Philosophica, & Theologica Opera*, inter quæ præcipua sunt *Commentarii in 4. libros Magistri Sententiarum*, quos Cardinalis Sarnanus Venetiis edi curavit 1578. Obiit circa ann. 1320. Vide Wadingum in *Annal. & Biblioth. Min. &c.*

FRANCISCUS DE MAIRONIS

SCoti & ipse discipulus, natus in pago quodam Provinciæ (quæ Italis Provenza dicitur) quem Mairone incolæ vocant; unde de Maironis appellatus est. Nec audiendus Bellarminus, cum aliis, qui ipsum in Scotia ortum asserunt. Sunt qui eam Diniæ, quæ Galliæ Narbonensis in Provincia civitas est, natum volunt, ex eo ducti, quod Joh. XXII. in sui gratiam ad Universitatis Parisiensis Cancellarium scribens, ipsum Franciscum de Maironis ex Diniæ vocat: unde & alii Maironis nomen fuisse dicunt, Diniam vero patriam: alii denique aliter de patria sentiunt. Sed sive Diniæ ejus patria fuerit, sive Mairone, & in Diniæ Monasterio S. Francisci habitum sumserit; in Provincia, non in Scotia natum pro certo habetur, & inconcusso. Carus autem ob suam pietatem, & doctrinam cit. Pontifici fuit, & S. Eleazaro, Comiti Ariani, cui de peccatis confitenti semper adstitit. Circa initium 14. sæc. floruit, & in celeberrima Sorbonensi Universitate docuit: in qua Magnæ Sorbonicæ (sic difficilem illum Actum, sive in disputando periculum ibi vocant) autor fuit. Plures Philosophicos, ac Theologicos Tractatus scripsit, qui ad suæ doctrinæ contestationem adhuc exstant. Vide Wadingum, Spondum ad ann. Chr. 1315. n. 7. Genebrardum in *Chronol. Possevinum*, &c.

THOMAS BRADWARDINUS

Natus fertur Hatfeldiæ in Comitatu Suffolciensi, Oxoniæ verò educatus, ubi cum bonarum literarum studiis aliquot annos incubuisset, Academicorum suffragiis Procuratorum unus creatur ann. 1325.: posteaque Doctoris in Theologia gradu honestatur. Mathematicus fuit insignis, Philosophus egregius, in Theologia vero studiis eousque versatus, ut apud doctos illorum temporum Doctoris Profundi appellatione innotuerit; eamque non immerito delatam illi fatebuntur, credo, qui libros ab illo conscriptos perlegerint. Verum, &c. Godwin. de Præsul. Angl. Comment. Sed Henr. Savil. in Præfat. Bradwardin. libro de Causa Dei contra Pelag. præfix. ejus doctrinam, doctrinæque methodum memorat, ubi ait: *Solidam ex Aristotelis, & Platonis fontibus hausit Philosophiam, sed in artibus Mathematicis, ac Theologia, ejus potissimum eluxit industria; ac in Mathematicis quidem ita excelluit, ut parem illi ætas tulerit fortasse neminem Thomas noster cum summus esset Mathematicus, etiam in Theologicis tractandis non recessit ab arte. Itaque primus, quod sciam, ac solus hanc viam tentavit in Theologicis, ut filo Mathematico Theologica contexeret; ponendo scilicet primo loco duas Hypotheses, quasi principia, & ex iis proxima quæque demonstrando, & corollaria deducendo, petitis etiam ex Euclide probationibus; deinde ex Hypothesibus, & prædemonstratis reliqua omnia perpetua serie ad finem usque operis attexendo: quo fit, ut conclusiones ejus cuiquam fortasse nimis alte petitiæ videantur.* Balæus etiam de Script. Eccles. ipsum nimis commendans ait, ex Aristotele, & Aben-soë in Philosophia plura hausisse, ac pro Scripturæ Sacræ intellectu cum Judæis, eo tempore in lege peritioribus, familiariter egisse; in Oxoniensi Universitate supremæ facultatis Magistrum fuisse: & ex Cancellario Londinensi

ab Edwardo III. Aulicum primo, ac suum à confessionibus Ministrum; deinde Cantuariorum Archiepiscopum factum, exacto tantum uno in Pontificatu anno, mortem obiisse an. 1350. Laudatur etiam ab illustribus viris Raphaële Volaterrano, & Joh. Pico, atque egregius Theologus appellatur: atque etiam à Gabr. Naud. *Bibl. Politic.* & ab Oudin in *Supplem. de Eccles.* à Bellarmino omiſſis; quos vide.

Scriptit nobile *Opus de Caussa Dei contra Palagium, & de Veritate Causarum*, sacræ, & profanæ, antiquæ, & novæ Philosophiæ, & Theologiæ doctrina refertum: quod manuscriptum in Vaticana, aliisque Bibliothecis servatur, & in fol. editum est Londini. Scriptit etiam *Opus de Geometria Speculativa, & Arithmetica*, quod impressum est Parisiis. Ejus etiam est *Tractatus Proportionum*, editus Venetiis: cujus meminit Possevinus in *Apparatu Sacro*; sed nihil de eo habet Wadingus in *Bibl. Script. Ord. Fr. Min.*

Cur autem ipsum inter Scotistas numeremus, id tantum fecit, quod cum ex Ordine Minorum Frater Thomas hic fuerit, & post Scotum vixerit annos 42. non nisi Scotistis cum reliquis ejusdem Ordinis Monachis jungendum duximus. Tandem brevitati consulens (aliàs Historiæ hujus Synopsi finis unquam non erit) prætereo reliquos ex Fratibus Minoribus celebres Philosophos BARTHOLOMÆUM MASTRIO DE MELDULA, BONAVENTURAM BELLUTO DE CATANA, SEBASTIANUM DU PASQUIER, aliosque plurimos, qui Scoti Peripateticam Philosophiam in tam præclaro Ordine illustrarunt.

TERTIA, SEU NOVA SCHOLASTICORUM ÆTAS.

DURANDUS A S. PORCIANO.

Tertiam, sive Novam Scholasticorum Ætatem à Durando ad Gabrielem Biel Hornius deducit in sua *Hist. Philos.* cujus sententiam supra adduximus. Durandus à loco ubi natus, à S. Porciano dictus est. Ordinis Prædicatorum Monachus, Sacri Palatii Magister primo fuit, deinde Episcopus in diversis locis. Scriptit *Commentarios in sex libros Sententiarum, & Librum de Origine Jurisdictionum*. Mortuus dicitur 13. Septembris an. 1333. Vide Trithemium, Bellarminum, Possevinum, Sixtum Senensem &c. Eodem tempore orti sunt

SCHOLASTICI NOMINALES, QUORUM AUCTOR

GUILHELMUS OCCAM

Sive Occham, & Ochan, natione Anglus, Scoti discipulus (deinde verò in dogmatis impugnator acerrimus) ejusdemque Minorum S. Francisci Ordinis Monachus, dictus primo *Venerabilis Inceptor*, deinde *Doct̃or Singularis*, tandem *Doct̃or Invincibilis*, & à Scaligero *Lima veritatis*, quartam Scholasticorum sectam condidit, quæ ab Autore OCCAMISTARUM, à doctrina vero NOMINALIUM Secta dicitur: hæc quum ab Autore nomen habet, quartam constituit; quum vero dogmata respicit, secunda est. Nominales autem propterea dicti sunt, quod Occam, & Rucelinus quidam Universalia mera esse nomina, non res, contra Scotistas defenderent; ut supra in S. Thoma fusius dictum est. Aventinus lib. 6. *Annal.* testatur, tantas contentiones, & odia inter Reales, & Nominales Heidelbergæ fuisse, ubi contigua habebant Collegia,

gia, five, ut tum loquebantur, Bursas; ut crebro à verbis ad verbera, & à syllogismis ad saxa deveniretur.

Sed ut ad Occam revertar, quum hic Michaëli, Cesenati viro, Generali Ord. Min. Ministro, cui litabat, gratum facere vellet; Imperatori Ludovico Bavaro, Ecclesiæ hosti, favere semper studuit: quare contra Johannem XXII. Pont. Max. scripsit. Imo & Imperatori, referente Trithemio, sæpe dicere solebat: *Quandiu tuus iste ensis me defendet, mea tibi hæc penna non deerit.* Delatus una cum Micahële Cesenate fuit, quod docuissent, Christum Dominum, ejusque Apostolos neque ad communem, neque ad particularem usum aliquid possedisse. Ex qua propositione originem habuit magna illa quæstio, quæ *Panis Franciscanorum* appellabatur: in qua illud in summa quærebatur, an panis, vini, eorumque omnium, quæ usu consumuntur, usus, an proprietas, five dominium ad ipsos pertineret Franciscanos. Primam Occam propositionem ut hæreticam Joh. XXII. per Extravag. *Cum inter*; secundam vero de usu sine dominio per Extravag. *Ad Conditorem*, damnavit; atque Occam, & Michaëlem anathemate punivit, tum quia Avenione (quæ urbs Archiep. est Galliæ Narbon. in Provincia sub ditione Pontif.) contra suum ipsius præceptum egressi fuerint; tum quia contra ipsum scripserint. Quæ Opera contra Pontificem scripta inter prohibitos 2. class. libros numerantur. Sed cum deinde hæc scripsisse, publica, & manifesta doloris, & pœnitentiæ signa dederit, atque opus retractaverit, à Clemente VI. anathematis absolutus est: cujus absolutionis Pontificium Chirographum in Bibl. Vatic. adhuc aservatur, & à Wadingo adducitur. Diem obiisse dicitur an. 1347.

Scripsit plura tum Philosophica subtilitatum nugis refertissima, tum Theologica; ex quibus hæretici quædam contra Ecclesiam sæpe usurpant: potissimum vero Melchior Goldast, qui Occam quædam in suo de Monarchia Opere inseruit. Vide Luc. Wadingum in Biblioth. & Annal. Minorum; Pitseum, Spondum, Bzovium, Trithemium, Raynaldum, Bellarminum &c.

De Nominalibus ita sentit magnus ille Criticus Lud. Viv. de caus. corrupt. Art. lib. 3. *Quæro cur homines Nominales, qui negant esse in rerum natura instantia, Scotum, & Reales sint in hoc secuti, de instantibus exponentes immediate, incipit, & desinit? An non videtis quæri materiam lusui aptiorem?* Et lib. Operis ejusdem 5. postquam Scholasticorum nugas, & subtilitates quasdam derisit, quæ nec illi quidem capiant ipsi, qui pepererunt, quæ, quando aliud non possunt, certe dignitate cohonestant nominis, Metaphysicam appellantes, atque ingenium ad commenta, & fanissima eorum somnia propensum, ingenium Metaphysicum: de Nominalibus hæc addit: *Rident Nominales Metaphysica illa Realium tanquam figmenta, & aniles fabulas: & tamen quia convellere non possunt, nec intercedunt, quominus Metaphysica dicantur ingenia præpostera, & deridicula. Sed enim vero neque hæc ipsa Aristotelis volumina potuerunt intelligere, primum propter locutionem adstrictam, & ex brevitate obscuram, hinc propter intricatas, & obliquas sententias, tum etiam ob immodicas subtilitates, quibus Aristoteles non exacuit ingenia, sed perturbat, & frangit, venebrasque, & hallucinationem inducit aciei mentis &c.*

GUALTHERUS BURLÆUS

Sive *Burley*, Anglus, sub Eduardo III. cognomento Fortunato floruit, & Joh. Duns Scoti cum Guilhelmo Occamo discipulus fuit, sed ejus deinde impugnator acerrimus, ac, Pitæo teste, Nominalis Philosophiæ sectator, Doctor primo Theologus Oxoniensis è Societate Collegii Mertonensis, teste

Vossio

Vossio de Hist. Lat. lib. 2. 65. & post Parisiensis ad annum 1337. qui præter alia philosophici argumenti monumenta, quæ manuscripta in Bibliothecis Oxoniensibus, & Cantabrigiensibus latent, Lelando, Balæo, Pitæo, Vossioque testibus, *Historicum de Vitis, & Moribus Philosophorum* reliquit opus, quod Simlero in Appendice Gesneri monente, manuscriptum in Bibliotheca Dominicanorum Ratisbonæ conservatur. Idem *de Modernorum Philosophorum Vitis* opusculum concinnasse celeberrimo Struvio memoratur in Bibliotheca Philosophica. Sed diligentiam suam non probavit in isto opere noster Philosophus, nam crassos in eo errores laudatus Vossius detexit, præsertim circa homonymiam autorum commissos. Quippe Horatium Poëtam eundem putat atque Horatium Putuillum; Plinium Veronensem, ac Plinium Novocomensem; Livium Andronicum, atque Livium Historicum; & similes, quos videre est apud cit. Vossium: ex quibus Gualtherum bonarum literarum ignarum nemo est, qui non arguat. Plurimos etiam Tractatus ad Scholasticam Philosophiam spectantes reliquit, quæ ejus ævi scientia erat, & in qua ipse nimium pollebat. Vide cit. autores.

Hic loci recensendi etiam se offerunt JOHANNES BACONTHORPIUS (quem Trithemius *de Bachone* appellat, sed Baconthorpe ei nomen erat à cognomine villæ in agro Norfolciensi, unde oriundus erat, ut Balæus monuit) celebris Anglus, Ordinis Carmelitarum, Professor Oxoniensis, *Doctor Resolutus* vulgo dictus, qui sec. 14. floruit, & magnam ex pietate, & editis operibus famam adeptus est. De quo ita præclare Baptista Mantuanus:

Iste tenebrosi damnat vestigia Scoti,

Et per sacra novis it documenta viis.

Hunc habeant quibus est Sapientia grata; redundat

Istius in sacris fontibus omne sophon.

Inter ejus Opera sunt *Commentarii in quatuor libros Magistri Sententiarum. Compendium Legis Christi. Quodlibeta. Tractatus de Regula Ordinis Carmelitici. Compendium Historiarum, & Jurium pro defensione ejusdem Ordinis* &c. Mortuus est Provincialis sui Ordinis an. 1346. sive 1350. ac Londini sepultus est. Vide Trith. Bellarm. Pitf. Balæum &c.

ROGERUS BACON Anglus, qui floruit an. 1270. in Mathesi peritiam incredibilem habuit. Multi eum Magiæ insimulant, & Negromantiæ, ut Balæus editione Centuriarum prima; quam tamen censuram monitus retractavit in postrema. Vir erat, ultra quam seculum suum tulit, doctus. Ita ex Horn. Hist. Phil. Monachus fuit ex Ordine S. Francisci, & ob eximiam suam doctrinam, quapropter *Doctor Mirabilis* dictus est, Clementi IV. gratissimus fuit. Scripsit plura, quorum pauca edita exstant, reliqua manuscripta in Bibliothecis asservantur. Vide Pitf. Bal. Leland. Willot in Athen. Francisc. Naud. &c.

G A B R I E L B I E L

Ultimus hujus ætatis Philosophus, patria Spirensis, quem Hornius cæterorum omnium fucum appellat. Doctor fuit Wittembergensis, in cujus Universitate, quam Dux Eberardus constituerat, an. 1477. Theologiam docuit. Scripsit *Libros 4. in Magistrum Sententiarum: Expositionem Canonis Missæ: Sermones plures: & Tractatum de Monetarum potestate simul, & utilitate*. Mortuus dicitur an. 1495. Vide Trith. Labb. &c.

Hujus autem ævi Philosophiæ barbariem ita descripsit Hornius Hist. Phil. lib. 6. c. 5. *Tam erat barbara, obscura, confusa, & spinosa, ut vix titulus Phi-*

Philosophiæ tueri ullo modo possit . Aristoteles nonnisi ingenti chartarum mole obrutus proponebatur : edebant tricubitalia adnotata , quodlibetarias quæstiones , summas , & quæ sunt alia nugarum genera . Obtinebat litigiosa subtilitas : formabant super unaquaque re objectiones , & earum solutiones , quæ ut plurimum distinctiones tantum erant . Adeout Scyllæ genus ad vivum expresserit hoc Philosophorum genus &c. Mitius de Scholasticis sentire videtur H. Grotius in Proleg. de Jure Belli , & Pacis , ubi : Scholastici , quantum ingenio valeant , sæpe ostendunt ; sed in infelicia , & artium ignara secula inciderunt , quo minus mirum , si , inter multa laudanda , aliqua & condonanda sunt . Verulamius lib. 1. de augm. Scient. ait , quòd artes , & scientias omnes mirificè provexissent (tanta est Scholasticis ingenii subtilitas , & acumen) si in meliora tempora incidissent . Laudat Joh. Picus in Apologia 90. Thesium , ubi : Est enim in Job. Scoto vegetum quiddam , & discussum ; in Thoma solidum , & æquabile ; in Ægidio tersum , & exactum ; in Francisco acre , & acutum ; in Alberto priscum , amplum , & grande ; in Henrico sublime , & venerandum . Hoc denique Erasmi in Moria judicium est de Scholasticorum subtilissimis subtilitatibus : Quas subtiliores reddebant tot Scholasticorum viæ , ut citius à labyrinthis temet explices , quam ex involucris Nominalium , Realium , Thomistarum , Albertistarum , Occamistarum , Scotistarum . Quis hæc intelligat , nisi tringenta sex annos totos in Physicis , & ultramundatis Aristotelis , & Scoticis contriverit ? Boëthius etiam 3. de Consol. Philos. eodem Erasmi sensu locutus est , his verbis affirmans , Eos inextricabilem labyrinthum rationibus texere . Cæteras prætereo hæreticorum censuras , qui ex odio magis , quam ex veritate in ipsos loqui consueverunt . Lud. Viv. (cujus quædam supra adduximus) eos acrius insectantem , vide locis citatis .

RELIQUI PERIPATETICI RECENTIORES .

QUUM plurimi ex Peripateticis sint , quos multas ob causas ad certas Classes , sive Sectas reducere nequiverim ; operæ precium id mihi fuit , ut de iis confuse , ætatis tamen seriem servando , sub uno titulo hic agerem . Et quidem , ut mihi summa fuissent omnia , temporis tamen , & librorum vix satis habui ; quò eorum opera evolvere , aut de ipsis apud autores censuras invenire potuissem . Fateor quidem , multos eorum , qui hic memorantur , Realibus , vel Nominalibus , Scotistis , Thomistis , vel Occamistis , accenseri potuisse ; sed tum ex adductis , tum ex aliis causis id rigoroſe perficere non curavi . Omnes igitur ex Peripato cum sint , eos junctim pertractare fas mihi esto .

J O H A N N E S B O C H A R D U S

A Brincæ , Normanix urbis Episcopus , Regis Ludovici XI. à confessionibus minister , accepta ab eodem Rege potestate regendi Universitatem Parisiensem , Nominalium sectam , & doctrinam ab ea eliminavit . Hæc enim eorum sententia , qua statuebant , scientiam non Rerum esse , sed Nominum , quia Nomina tantum Universalia esse possunt , cum Res omnes sint particulares , ei non arridebat . Quod Bocharidi in Universitate regimen idem Rex confirmavit an. 1473. Postquam diu Abrincæ Ecclesiam rexit , ad plures abiit an. 1484. Vide Sainte Marthe in Gall. Christ.

FRANCISCUS PHILELPHUS

ANcone, secundum alios Tolenti, an. 1398. natus, Eques Auratus, Philosophus, Poëta Laureatus, & Orator fuit. Venetiis diu studiis operam dedit; deinde Græcæ linguæ amore succensus Constantinopolim adiit, ubi Theodoram Chrysoloram, doctissimi Emanuelis Chrysoloræ filiam duxit. Ab Imp. Joh. Palæologo ad Eugenium IV. Pont. missus est ad petendas ab eo suppetias contra Turcas. In pluribus, primisque Italiæ civitatibus publice magna sui nominis fama docuit. Vitam duxit vere Philosophicam, hoc est, semper pauperem, bonorumque omnium indigentem. Sed mirabile nimis illud est, quod ejus vitæ scriptores referunt. Quum hic cunctis Grammaticæ legibus optime addictus esset, quæstionem cum Græco quodam Timotheo de syllaba habuit. Facta sponsio est, ut victi barba victori cederet. Philelphus victor existens victoriæ præmium, abradam barbam, sponsionis lege petiit à victo. Hoc autem summum Philosophorum dedecus ut vitaret Timotheus, argenti pecuniam satis magnam pro barbæ redemptione obtulit: quam ille, pauperrimus licet, respiciens, sponsionis lege omnino standum voluit. De quo Myrtheus ludens ait:

*Nunquid sat tibi non fuit, Philelphe,
Linguæ gloria nobilis Latinæ?
Ni Græcas quoque pervagatus urbes,
Dignus conjuge, nuptiisque Græcis,
Ferres Timothei novum triumphum?
Cui dum una super illi ditione
Tecum pignore certat, atque barbam
Abradi sibi ferre pollicetur
Victus: aut positam pecuniam abs te
Victor, auferat. Abnegasti eadem
Barbam posse pecunia obtinere
Victor, atque novacula expedita
Barbam illius habere maluisti.
Jam nunc non Itale, Philelphe, sed sis
Græce gloria nobilis palestræ.*

Obiit sanctissime Bononiæ an. 1471. vel, secundum alios, 1481. fere nonagenarius, sed in tanta egestate, ut ad efferendum funus & cubiculi, & coquinæ instrumenta venierint, ut notat P. Jovius in Elog. Ejus Opera extantia sunt: *Euthyphron de Pietate: De Morali disciplina libri 8. Vita Nicolai Papæ V. De Diversitate legum libri 2. Sphorciadarum versu heroico libri 9. Satyrarum libri 10. De Jocis, & seriis libri 6. Lyricorum libri 6. Orationes 60. Epistolarum Latinarum libri 16. Epistolarum Græcarum libri 39. De Exsilio libri 3. Conviviorum libri 2.* & multos præterea Græcos autores Latinos reddidit, sed non nimis laudabiliter.

De eo varia sunt autorum judicia. Scaligerana posterior: *Philelphi Epistolæ bonæ. Lud. Viv. de Trad. Discipl. lib. 3. In Francisci Philelphi verbis plane nihil desideres: ejus tamen lectio est molesta, quod motu omni, & quasi vita caret: & fortasse is est genius, quem in quoque libro victuro Martialis requirit.* Sed ejusdem libros Conviviorum ab Historiæ, Antiquitatum, atque Philosophiæ cognitione impense laudat. Vossius de Poët. Lat. p. 81. *Ignoscendum seculo, quo vixit, quod crebro adeo in metrum peccat.* Refert Lilius Gyraldus, ipsum in Academia, & Lyceo versatum, sed non alius pedem fixisse,

fe, multa vero laude dignum existimat. Vide Trith. Volaterr. Erasmi. in Ciceroniano; Possevinum, Simlerum, Konig. &c.

JOHANNES ARGYROPHILUS

VEL, secundum alios, *Argyropylus*, Constantinopoli natus, patria à Turcis capta, Italiam venit sec. 15. atque in Cosmi Medices, Magni Hetruriæ Ducis, Aula humanissime receptus, magna autoritate, & gratia apud eum, ejus filium Petrum, ac nepotem Laurentium vixit, quem adhuc puberem in Dial. eccl. & Moralibus instituit. Literæ igitur omnes, barbaris ingruentibus, è Græciæ antiqua sede exfulare coactæ, in Italiam, Romam potissimum, & Florentiam se receperunt. Ita quicquid ejus eruditionis supererat, tanquam ex magno naufragio, ad Italiæ litus primum enatavit; inde toti Occidenti communicatum fuit. Tum temporis enim Theodorus Gaza Thessalonicensis, Demetrius Chalcondylas Atheniensis, Marcus Musurus Cretensis, Georgius Trapezuntius, Johannes Argyropylus, Marcus Marullus, & plurimi alii, Romam venerunt, & cum Græca eruditione Philosophiam quoque ibidem ex ipsis fontibus instaurarunt; unde paulatim lacunæ, & paludes fœtidæ Scholasticorum exaruerunt. Primus ex Græcis Philosophiam Romæ professus fuit Argyropylus, cujus sectatorem se fuisse memorat Angelus Politianus Miscell. cap. 1. eumque cum literarum Latinarum minime incuriosum, tum Sapientiæ decretorum, disciplinarumque adeo cunctarum, quæ Cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditissimum illis temporibus habitum, atque in disputando acerrimum. Horn. Hist. Phil. l. 6. c. 6.

Argyropylus pestis causa, quæ Florentiæ grassabatur, Romam migravit, ubi Græcam potissimum linguam professus est; ex qua quicquid lucri, quod non mediocre, habebat, in epularum lautitiam insumebat, ex quarum usu nimis saginatus vix incedere potis erat. Hinc moriens in egestate, testamentum risu dignum confecit, amicis omnibus alienam pecuniam legando. Et quidem gulæ adeò indulgit, ut ex immodica melonum ingurgitatione in gravem febrem incidens, ex ipsa mortuus sit in fine sec. 15. ætatis anno 70. Joh. Lascaris ejus discipulus Græcum Epitaphium composuit, quod citat P. Jovius, à Majorano Lascare in Latinum conversum. Vide etiam Vossium de Hist. Gr. lib. 4. c. 19.

Ex Aristotele convertit Prædicamenta; Posteriorum Analyticorum lib. 2. de naturali auscultatione lib. 8. de Cælo lib. 4. Ethicorum ad Nicomachum lib. 10. de Imp. Joh. Monodia Gr. manuscripta in Bibliotheca Regis Gallorum. Consolatio ad Imp. Constantinopolitanum, De Regno. Comparatio antiquorum Principum, & novi Imp. Ibidem. Argyropyli, ut ipse de se scribit lib. 1. Miscell. c. 1. discipulus fuit

ANGELUS POLITIANUS

A Monte Politiano, Hetruriæ Oppido, ubi an. 1454. ortum habuit, sic dictus, alias *Bassus*, Canonicus Florentinus, Johannis Pici Mirandulæ studiorum comes, à Laurentio Mediceo filiorum institutioni præpositus fuit. Græcam, Latinamque linguam Florentiæ annos undecim professus est. Præceptorem etiam habuit Andronicum Thessalonicensem. Is sumtu, & promotione Cosmi Florentinorum Principis, cum Marsilio Ficino bonis literis institutus est: in quibus tanta felicitate profecit, ut brevi temporis intervallo sui temporis homines doctos eruditione aut æquaret, aut superaret, &c. Ex Boissard. in Icon.

Sed Ludovicus Vives, Mornæus, & Hornius Politianum Atheismi, vel parvæ in Deum pietatis accusant, quod Sacra Biblia contemptui habuerit. Hornii verba in Hist. Phil. l. 6. c. 8. sunt: *Erant tamen circa hæc tempora plurimi, qui Ethnicorum placitis addicti, Christianam Philosophiam prorsus spernebant. Dux, & caput factionis Angelus Politianus erat, qui interrogatus an Biblia legeret: Semel, inquit, perlegi librum istum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus. Idem Odas Pindaricas Davidis Psalterio prætulit.* His autem occurrit Boxhornius in Monument. illustr. Viror. ajens, ipsos nullum idoneum testem ad id probandum afferre, & facile confutari ex eo, quod ipsemet Politianus de se scribit, sese Quadragesimali tempore publicè populo Sacras literas enarrasse. Politianum cæteroqui laudat idem Hornius ibid. cap. 6. ubi: *Angelus quoque Bassus, alio nomine Politianus, ad magnam celebritatem nominis venit, explicationes suas in Analytica priora Aristotelis, de Dialecticæ à Prima Philosophia distinctione; & Dialecticæ Compendio edendo.* Ex quibus modò dictis Operibus liquidò constat, eum non solum Grammaticum, Oratorem, & Poëtam, sed etiam Philosophum fuisse insignem. Ejus Opera Poëtica, vel Erudita omnia enumerat Gesnerus in Bibliotheca. Obiit 1494. æt. 40. non 43. ut vult Jovius, vel 44. ut alij. Politiani laudes passim apud Scriptores inveniuntur. Id dixisse sufficiat, ipsum à rigidioribus Criticis etiam laudari. Scioppius eum vocat *Virum omni laude majorem: Erasmus, Angelicæ mentis virum, rarum Naturæ miraculum: Scaliger Virum non solum se majorem, sed & nullo nostræ ætatis inferiorem.* Vide etiam Barth. Brixium; Lil. Gyrald. Whear. Possevin. Lud. Viv. Voss. Huet. Thomas. &c.

THEODORUM GAZAM, Græcæ, Latinæque linguæ peritissimum omnium sui temporis hominum doctissimum, ex multis editis operibus celeberrimum, præcipue ex versione Latina Aristotelis Hist. Animal. de partibus Animal. de Generat. Animal. Problem. tum Arist. tum Alexandr. Aphrodis. & Theophr. de Hist. & causis Plant. inter Philosophos recensendum cum Erasmo duximus, qui in Ciceroniano p. 160. ait: . . . *Cùm sua loquitur, duo quædam obstrepunt delicato Lectori, Philosophiæ studium, in qua totus erat, & illud γνῶσιον Græci sermonis, quod Latine loquentes sequi solet, & vix unquam dediscitur.* In ejus tamen Interpretationibus Græcis hoc Josephi Scaligeri judicium est, referente Huet. de Clar. Interpr. multa scil. esse, quæ meliora fieri possint, quædam etiam, quæ omnino mutari debeant. Ejus elogium vide apud Pope Blount, P. Jovium, atque alios.

Cardinalem Bessarionem Meccenatem habuit beneficium: à quo, Sacerdos factus, Ecclesiastico beneficio in Calabria donatus est, ubi deinde potius, quam Romæ esse maluit. Cùm enim Sixto IV. Pont. spe alicujus beneficii librum Aristotelis de Natura Animalium nuncupasset, pulcherrime auro, & holoserico ornatum; Pontifex rogavit, quanti ornatus constaret? cui ille; quadraginta coronatis. Tot ipsi reddi jussit, ac præterea nihil. Quare Gaza indignatione percitus, pecuniam in Tiberim projecit, ac in suam Calabriæ solitudinem secedere statuit. In tanta enim egestate vivebat, ut, nisi eum ad se Dux Ferrariensis vocasset, fame ipsi moriendum fuisset. Mortuus dicitur an. 1478. Vide etiam Vossium, Leonem Allatum, Spondum, &c. Discipulos, præter alios, habuit Demetrium Chalcondylam Atheniensem, qui magna sui nominis fama Mediolani docuit, Johannemque Venetum Cardinalem, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum. Gazæ discipulus Ferrariæ fuit

RODOLPHUS AGRICOLA

Qui Jacobo Bergomati in Chronicis vocatur Rodolphus à Chroningen, nempe quia in Baslon pago, juxta Chroningam, principem Frisïæ urbem, natus fuit: quod contigit circa annum 1442. Puer Lovanii in Gymnasio Falconensi Philosophiæ operam dedit. Et cum Theologiæ rudimenta degustarat, in Gallias abiit, indeque in Italiam, ubi Theodorum Gazam audivit. Postquam domum rediit, Syndicus factus est Reip. Groningane, ob cujus negocium missus in Aulam Cæsaris Maximiliani, ubi cum semestri hæssisset, voti compos Groningam reversus est. Exinde à variis, eosque inter Antuerpiensibus, ad Scholæ præfecturam deposcebatur. Sed prætulit professionem Heidelbergæ, ubi Philosophiam triennium docuit, ac Græcas literas tota Germania excitavit. Vir fuit Latine, Græce, & Hebraice doctissimus, Philosophus summus, atque idem admodum disertus; imo & Musicæ, Picturæ, aliarumque artium studiosissimus. Voss. de Hist. Lat.

Opera ejus omnia, quæ extare dicuntur, ope, & labore Alardi Amstelredami cum Autoris Vita Tom. 2. edita sunt Coloniae; in quorum 1. ex Gesneri recensione, sunt *De inventione Dialectica libri omnes, annotationibus illustrati, De Universalibus quæstiones aliquot singulares. Propædeumatium Dialecticæ Inventionis opusculum*, circumstantias, sive attributa personarum, & rerum ad Rodolphi locos redacta simul, & exemplis aliquot explicata, compendio pertractans. *Scholia in Orat. pro L. Manilia*, quibus ea potissimum, quæ ad Dialecticam pertinent, explicantur. Tom. 2. continentur *Aphthonii Sophistæ Progymnasmatia*, atque alia multa, quæ ad Artem Oratoriam, Historiam, vel Eruditionem spectant: nam & Philosophus, & Poëta, & Orator eximius erat. Extat præterea *Epistola de Formando studio*, scripta an. 1484. Heidelb. 1621. 8. Hic si vel communem ætatem vixisset, parem in literis omnibus non habuisset; mortuus enim est Heidelbergæ an. 1485. annos natus non dum 43. ibique in habitu Franciscani, ut præceperat, apud Minoritas sepultus fuit; eique hoc Epitaphium condidit Hermolaus Barbarus:

Invida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum

Agricolam, Frisii spemque, decusque soli.

Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis

Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Rodolphi laudes omnium ore, & calamo, etiam *ἁπλοῦς*, contextæ sunt. Erasmus in Adag. *Quid Cani, & Balneo*, hæc habet: - - - *Eloquentiæ tam absolutæ parem adjunxerat eruditionem. Philosophiæ Mysteriorum omnia penetraverat. Nulla pars Musices, quam non exactissime calleret, &c.* Lud. Viv. Comment. ad c. 21. l. 2. de Civ. Dei: *Vix & hac nostra, & patrum memoria fuit unus, atque alter dignior, qui multum legeretur, multumque in manibus haberetur, quam Rodolphus Agricola Frisius, tantum est in ejus operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis: at is paucissimis noscitur, vir non minus, qui ut ab hominibus cognosceretur, dignus, quam Politianus, vel Hermolaus Barbarus, quos, mea quidem sententia, & majestate, & suavitate dictionis non æquat modo, sed etiam vincit.* P. Bembo Epist. l. 6. ad Erasmus: *Rodolphi Agricolæ scripta maxime omnium, qui ætate nostra scripserunt, mihi quidem probantur. Scaligerana Prima: Rodolphus Agricola Frisius optimus Magister dicendi, imo fortassis illorum princeps. Petrus Montanus, Philosophus Platonicus, & Poëta Satyricus de Agricola dicere solebat: Agricola solum ex Germanis Scriptoribus insolenti Græciæ, aut procaci Italiæ objicere possumus. In oratione enim pedestri mihi effinxisse*
vide-

videtur sonum Lactantii, lenitatem, & rotunditatem Plinii, lumen Senecæ, Tullianam quoque redolet ubertatem, & acumen ostentat Quintiliani, vehementiam, & obliquitatem Cypriani referre videtur. Quam sententiam majori elogio confirmat Erasmus in Ciceroniano p. 79. ubi eum appellat Virum divini pectoris, eruditionis reconditæ, solidum, nervosum, elaboratum, Isocrate in orationis structura sublimiorem, Quintiliano in eloquendo fusioem, & dilucidioem, atque eo magis mirabilem, quod in tanta regionis, & temporis infelicitate natus sit. Ramus in Præfat. de conjungenda Eloquentia cum Philosophia ait: *Rodolphus Agricola primus omnium post beata Græciæ, Italiaque tempora, eximium illum Logicæ facultatis usum revocavit, ut juventus à Poëtis, & Oratoribus disceret non solum pure loqui, & ornate dicere, sed de propositis rebus acute cogitare, prudenterque judicare.* Tandem Hornius l. c. *Rodolphus Agricola Omlandus, peragratis plerisque Europæ Academiis, ad summam non tantum eruditionem, sed & famam pervenerat. Hic edidit mirabiles illos de Inventione Dialectica libros, caligante adhuc, & delirante Germania: quibus Logicam non tam spinosis quæstiunculis inservire, quàm in omni vitæ genere usum habere amplissimum monstravit.* Vide etiam Huet. de Clar. Interpr. P. Jov. in Elog. Trithem. Melch. Adam in Vit. Germ. Philos. &c.

HERMOLAUS BARBARUS

Patricius Venetus, ex nobili, ac Senatorio Barbarorum Ordine natus a. 1454. vir doctissimus, summis vigiliis bonarum artium, ac disciplinarum gloriam intermortuam suscitavit, anno quippe ætatis 22. scribere orsus, erudita, ac Philosophica plura edidit, quæ in doctorum manibus versantur, & à Gesnero in Bibliotheca enumerantur. Hermolaus, ut ait Hornius, pro Barbara Philosophia minime Barbara scripsit; sed

*- - - - - dictus qui Barbarus olim,
Barbariem tamen Italicis procul expulit oris.*

Romæ apud Alexandrum VI. P. M. Venetæ nobilitatis nomine Oratorem egit; cui, Apostolico Senatui, omnibus carus semper fuit. Quare Alexander, ut tantis Hermolai meritis gratificaretur, eum Patriarcham Aquilejensem creavit. Sed non multo post Romæ, teste Boissard. in Icon. ex peste ibi sævientem obiit a. 1494. sed Joh. Pier. Valerianus de Literatorum infelicitate addit, ipsum exsulem factum ob susceptam, inconsulto suo Senatu, Aquilejensem Patriarchæ dignitatem, quam accipere prohibuerat, & de possessione ejectum, inopem vitam duxisse, ejusdem Summi Pont. sportula quodammodo sustentatum ad mortem usque, quam ex peste obiit. Phil. Labbe hoc ejus refert Epitaphium:

*Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hic situs est, Utraque lingua gemit.
Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit nasci clarius, atque mori.*

Quod autem Gesnerus, atque alii post Trithemium scripserunt, ipsum scilicet Cardinalem fuisse, falsum est. Hunc enim præclarum honorem nonnisi facile futurum, ut assequeretur, speravit.

Scripsit, præter alia plurima erudita varii generis, *Contra Barbaros Philosophos lib. 1. De convenientia Astronomiæ, & Medicinæ lib. 1. Compendium Philosophiæ ex Arist. lib. 1. Aristot. dialecticam. Orationes metricas ad carmina duodecim millia. Præfat. 2. in Paraphrasin Physices Themistii. Præfat. in libros Arist. &c.* Hermolaum, ejusque Opera summe laudant eruditi omnes, & cri-

critici. A Scalig. *Scientiarum omnium alumnus, ac idem parens* vocatur. Ab Erasmo *Magnus, ac divinus homo, &c.* Ab Angelo Politiano *Homo ex reliquis aurei seculi.* A Nic. Leonicensi *Vir omnium disciplinarum eruditissimus, &c.* Vide etiam Vossium de Hist. Lat. Alexandrum ab Alex. Petr. Bemb. Roland. Mares. P. Jovium: Erasmus pluribus in locis, &c. potissimum eruditissimum Salmasium in Præfat. ad Plinian. exercitat. ubi: *Barbariæ suo tempore Victor, solidam sibi apud eruditos gloriam peperit, & victurum omni ævo nomen.*

HIERONYMUS SAVANAROLA

Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, vir acerrimi ingenii, summæ doctrinæ, & eruditionis, austeritate vitæ, & morum probitate admirandus, in reprehendis vitiis vehemens, eloquentissimus in Concionibus, ita ut amplissima templa auditorum multitudinem non caperent; ob nimiam in prædicando libertatem primum Prædicationis munere interdictus; deinde, quòd Alexandrum VI. Pont. ac Romanam Curiam objurgare non desisteret, Florentiæ laqueo suffocatus, & crematus est an. 1498. æt. 46. Ejus Epitaphium hoc refert Phil. Labbe in Thesaur. Epitaph.

*Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus,
Relligio sanctas dilaniata comas
Flevit, & ob, dixit, crudeles parcite flammæ;
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.*

Scriptis plura, quæ recenset Gesnerus in Bibl. Potiora sunt: *Quadragesimale lib. 1. Super Psalmos, & Prophetas: Compendium totius Philosophiæ tam Naturalis, quam Moralis: De Divisione, Ordine, & Utilitate omnium scientiarum: Compendium Logices: Triumphus Crucis: Commentarii in Alcoranum*, quod omni ratione carere probat: *Prophetia*, in qua multa de sequenti seculo, & Regnorum commotione prædixit. Hinc à plerisque Prophetæ habitus est; & præcipue à Marsilio Ficino, qui eum magnifice commendavit; eique in quadam epistola Propheticum Spiritum tribuit; & à Philippo Comineo, Gallico Historico, qui cum eo sæpe locutus, asserit, multa sibi prædixisse, quæ eventus comprobavit. Joh. etiam Picus Mirand. ipsum Prophetam appellat, & Apologia in eam rem expressa adversus Pont. Max. tueri satagit. Et quidem ut Sanctum eum plurimi habebant; hinc non sine magno tumultu, & multorum sanguine captus, & in carcerem coniectus est. *Expositio Orationis Dominicæ: Libellus contra Astrologiam Judiciariam*, Italice scriptus: *De Simplicitate Christianæ vitæ lib. 5.* digni, ex omnium sententia, qui ab omni Christiano homine legantur: *Sermones varii, &c.* Joh. Franc. Picus Mirand. in Vita Hieron. Savanarolæ præ cæteris ejus operibus Triumphum Crucis eruditione, & materia omnibus præfert. De Savanarola ita Hornius Hist. Phil. lib. 6. c. 6. *Successit Hieronymus Savanarola Italus, eximius Philosophus, qui, relicta errantium caligine, veram Philosophiam reducere serio conabatur.* Ex tot operibus omnino prohibetur in Ind. Rom. liber inscriptus: *Dialogo della Verità*; & ejus *Sermones*, donec correcti prodeant. Vide Sixt. Senens. l. 4. Bibl. Sanct. Boissard. in Icon. Spondan. in continuat. Baron. ad an. 1492. J. Franc. Pic. in Vita. P. Jov. &c.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ DOMINICUS SOTUS

Ordinis Prædicatorum, Segobiæ in Hispania natus an. 1494. ex patre, qui hortos colebat, ut ipse de se testatur, S. Thomæ Villanovani, Valentia: Archiepiscopi in Philosophia discipulus fuit: quam deinde etiam in publicis Universitatibus docuit. Caroli V. jussu, cui à sacris confessionibus erat, Concilio Tridentino una cum Bartholomæo Alcala ejusdem Ordinis, qui deinde Archiepiscopus Toletanus fuit, interfuit; ibique & voce, & scriptis claruit, nam ne dum docte concionem habuit, sed libros etiam duos edidit *De Natura, & Gratia*, quos Concilii Episcopis nuncupavit. Segobiæ Episcopatum, aliosque à Carolo V. collatos sibi honores, recusavit: cujus Aulam, post compositas ejusdem jussu res magni ponderis, relinquens, Salmanticam, ubi antea docuerat, rediit; ibique mortuus est anno 1560. æt. 66. Tantæ pietatis, & doctrinæ vir fuit, ut ejus elogia hæretici etiam fecerint.

Inter ejus Opera sunt, præter dictum, *Commentaria in 4. Sententiarum: de Justitia, & Jure lib. 10. Commentaria in Porphyrii Isagogen, Aristot. Categorias, & libros de Demonstratione: In Epistolam Pauli ad Romanos: Super 8. lib. Physicorum Aristotelis: De ratione tegendi, & detegendi secretum: De pauperum causa: De cavendo Juramentorum abusu: Apologia contra Ambrosium Catharinum Episcopum, &c.*

AUGUSTINUS NIPHUS

Suessanus, dictus etiam *Eutycbius, & Philotheus*, in Peripatetica Philosophia celeberrimus, qui eam in omnibus fere Italia: Universitatibus docuit, vir æque doctus, ac jocosus, ideoque cunctis gratissimus fuit, præcipue Leoni X. Pont. qui eum semper apud se habere cupiebat. Imo etiam tanti eum æstimavit, ut Domus Medices & nomen, & Stemma assumere ei permiserit: unde & aliquando Niphum Medicem vocatum invenies. Carolus V. ipsum præclara Consilarii status dignitate donavit. In libidinem adeo propensus erat, ut septuagenarius licet, & uxorem habens, Angelellam nomine, doctissimam, ac honestissimam feminam, ex qua plures liberos suscepit, inter scorta tamen noctes quandoque integras saltando, & canendo transigeret. Hinc, seipsum demonstrans, scripsit librum *De Aulico Viro*. Medicus etiam fuit sui ævi præclarus; ac lib. 1. *De Diebus Criticis* composuit: *De Auguriis lib. 2. Urania: divinatricis lib. 2. De Morbo Gallico lib. 1. Commentarios in Aristotelem: De Immortalitate Animæ contra Pomponatium. Opuscula Moralia, & Politica: De inimicitiarum lucro: De Armorum, & Literarum comparatione: De Tyranno, & Rege, &c.* Obiit jam senex circa an. 1537. Vide P. Jovium; Le Mire; Opmerum; Naudeum, &c.

CALIXTUS ANDRONICUS

Secundum Morery in Lex. Hist. *Andronicus Callistus*, secundum Gesnerum in Bibliotheca (male eum Theodorum Andronicum appellat Cozzandus in Magist. Antiqu. Philos. p. 113.) secta Peripateticus, sec. 15. floruit, ac Cardinalis Bessarionis familiaris fuit. Scripsit *Librum de Physica scientia, & fortuna*, qui servatur in Biblioth. Vaticana, & Sforzæ. Ejus etiam est *Monodia Monodia in expugnationem Constantinopolitanam*, quæ Græce manuscripta extat in Biblioth. Regis Gallorum, ex Gesn.

RODERICUS A S. CRUCE

Lusitanus, magnum præclari Lusitaniæ Regni ornamentum, ac sui Ordinis Eremitarum S. August. decus, ob eximiam pietatem, & eruditionem Emmanuelli potentissimo Lusitaniæ Regi carus, sec. 15. floruit; ac Philosophiam, & Theologiam Ulyssipone laudabiliter docuit. Scripsit *Commentarios in Aristotelem*, & *Magistrum Sententiarum*. Vide Bibl. Hisp.

LEONARDUS BRUNUS

Patria Aretinus, Græcæ linguæ, quam ab Emmanuele Chrysolora didicit, peritissimus, Philosophus, Orator, Historicus, Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Johanni XXIII. Pont. ab Epistolis, vulgo Brevibus, & Reip. Florentinæ à Secretis, vir eruditione celebris, sec. 15. floruit, ac semper cælebs vixit. Quod ad mores hoc tantum ei vitio vertunt, quod φιλαχρηματῶ, divitiarum cupidus fuerit. Obiit an. 1440. sive 1443. æt. 74. Scripsit Historica, & Erudita plurima, quæ recenset Gesnerus in Bibliotheca. Philosophica ejus Opera habemus *Commentaria in Œconomica Aristotelis: Vitam ejusdem: Dialogum de Moribus: Introductionem in Aristotelem; & Moralia ad Eudemum*, edita cum Lat. Oper. Arist. &c. E Græco in Latinum vertit ex Plut. Vitas quædam; ex Plat. Basil. Xenophont. quædam; Aristotelis Ethica, Politica, & Œconomica, &c. Vid. Æn. Sylv. Jov. Erasmi. Voss. Possevin. &c.

JACOBUS FABER

AD Stapulas, maritimum Picardiæ pagum ex ignobili familia natus, & Philosophicis Sophistarum nugis, & ineptiis apud Parisios institutus, partim suæ mentis solertia, & impulsu, partim eruditorum hominum, qui tum in Italia florebant, impulsu, quod boni in literis, ac Philosophia sibi deesse noverat, totis viribus, ac forti animi contentione conquirit. Quare & sibi, & aliis prodesse cupiens, & sibi optatam scientiam acquisivit, & aliis planum, & facilem ad Aristotelis Philosophiam aditum nova methodo comparavit. Quod autem sua industria, & labore didicerat, & voce, & scriptis docuit, & totius Galliæ juventutem ad cultarum literarum studia alacriter excitavit. Hic itaque *Primus apud Gallos, ut Cicero apud Romanos, Philosophiam rudem adhuc, & impolitam cum eloquentia junxit. Est in dicendo sublimis, in sententiis gravis, in attentione exquisitus, in compositione diligens, ac curiosus; ut de eo Trithemius ait: Faber Ingeniorum appellari volebat; quum in omni fere doctrinæ genere ad docendum aptissimus haberetur. Defuit in eo, dum scriberet, illa Latini sermonis puritas, quæ diu aut neglecta apud externos, aut parum accurate quæsitæ, non magnopere fervida ingenia delectabat. Scripsit Commentarios in Astronomicis, juventuti perutiles, & Scholia in Moralem Philosophiam, perdiscantibus opportuna. Ætate autem confectus, cum sacras literas attigisset, à Lutherana doctrina non procul abfuit, itaut in ea suspicione senex moreretur. P. Jovius in Elog. Mortuus autem traditur annos natus 101. postquam semper purus ab omni muliebri contagione vixerit; mente quidem, & doctrina magnus, corpore vero perexiguo, itaut homuncio diceretur.*

Scripsit præterea Commentaria in omnem fere Sac. Scripturam, quæ prohibita sunt, donec corrigantur; atque alia plurima in totum fere Aristotelem,

Boëthium, &c. quæ exactissime numerat Gesnerus in Bibliotheca. De Fabro, ejusque operibus hæc Criticorum censura est. Thuanus Hist. l. 17. ait, Fabrum literis renascentibus facem prætulisse. Erasmus in Epist. l. 2. Epist. 24. *Vir probus est Faber, eruditus, humanus, denique verus etiam amicus.* Et in Ciceroniano p. 168. *Vir pius, & doctus, sed qui Theologice dicere maluerit, quam Tulliane.* Hofmannus ait: *Jacobus Faber Stapulensis, Sorbonicus Doctor, mole exiguus, ingenio maximus, ex seipso natus: Divinarum, humanarumque rerum callentissimus.* Lud. Viv. de Trad. Discipl. l. 4. *Jacobus Faber tum in Aristotelem scripsit, tum Dialecticam ipse composuit, multaque ex receptis suo ævo opinionibus tanquam ex cæno trahit.* Et ibidem p. 589. *De Arithmetica exercitii, atque speculationis, Jacobus Faber satis accommodate scribit, ut in Schola tradatur discipulis.* Vossius de Mathem. Anno 1503. *magnum in Mathesi, in Philosophia tamen imprimis, nomen sustinuit Jacobus Faber Stapulensis.* Spondanus ad an. 1523. ipsum vocat Philosophum celeberrimum, Divinis, humanisque literis excultum, sed quibusdam novitatibus affectum, quarum causa à Sorbonæ societate resectus fuit. Vide etiam Jacob. Verheiden in Elog. Theol. Henr. Jul. Scheurl's Bibliograph. Moral. &c.

ALEXANDER ACHILLINUS

Bononiensis Philosophus eminentissimus, & accuratus Averrhols interpretis, Patavii primum, post Bononiæ Philosophiam publice docuit. Edidit multos libros, è quibus Jovius in ejus elegio commemorat singulos libros, *De Elementis; De Intelligentiis; De Orbibus.* Obiit Bononiæ An. D. 1512. ætatis autem suæ 49. Opera ejus in unum collecta, *De Intelligentiis; De Orbibus; De Universalibus; De Physico auditu; De Elementis; De Subjecto Physiologiæ, & Chiromantiæ; De Subjecto Medicinæ; De Prima Potestate Syllogismi; De Distinctionibus; De potestate Motuum,* edita sunt Venetiis apud Hieronymum Scotum 1568. cum Adnotationibus Pamphili Montii. Adnotationes Anatomicæ impressæ Bononiæ à Hieron. de Benedictis 1524. Ita Gesnerus in Bibliotheca, Medicus etiam fuit magni nominis. In ea sui ævi Philosophia adeo claruit, ut *Magnus Philosophus* diceretur; & ex omni fere Europa discipulos ad se traheret. Pomponatii æmulus fuit: quare ambo sibi mutuo obtrectabant. Vid. P. Jov. in Elog. Opmer. in Chronograph. Bumald. Bibl. Bonop. Alidos. de Doct. Bonon. &c.

LUDOVICUS BUCCAFERREI

Vulgo *Boccadiferro* Bononiensis, modò dicti Achillini discipulus; Philosophus, & Medicus insignis, Philosophiam magni sui nominis fama, & auditorum concursu Bononiæ primum docuit, deinde Romæ ab an. 1521. usque ad 1526. atque iterum Bononiæ, ubi mortuus est die 3. Maii 1545. ætat. 63. Inter ejus discipulos, ex quibus præclari quicumque eo seculo in Italia Philosophi, & literati erant, numerabantur, præcipui fuere Cardinales duo de Gonzaga, qui Ecclesiastica Beneficia plura in ipsum contulere. Autorum omnium, qui ei contemporanei scripserunt, & qui post ipsum secuti sunt, nomen commendatur. Scripsit in 4. *Meteororum lib. Arist. in ejusdem 1. Physicorum: & in lib. de Generatione, & Corruptione Commentaria.* Vide Autores modò cit. & Jac-Phil. Thomasin. Vit. illustr. Vir. p. 2. &c.

MARCUS EPHESINUS EPISCOPUS

Florentino Concilio interfuit an. 1439. ubi Græcorum Schisma propugnavit, asserens, Latinos hæreticos esse, quod Apostolorum Symbolo addiderint *Filioque*, fortiter cum Græcis credens, Spiritum Sanctum à Patre tantum procedere. Sed Constantinopolim rediens, misere obiit. De eo ita Jonsius Hist. Phil. l. 3. c. 21. *His accedebat Marcus, Ephesinus Episcopus, oppositus ubique Platoni, qui Aristotelem divinis ornabat laudibus, videlicet, quod in multis ille consentiret cum verbo divino.*

De eo item Spond. ad an. Chr. 1439. & 1440. ubi celebrem etiam GEORGIUM SCHOLARIUM refert, Monachum, & primum post captam à Turcis Constantinopolim ejus urbis Patriarcham, à Mahumete II. factum per hæc verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ delegit.* Qui mos Græcis etiam Imperatoribus in eligendo Patriarcha antiquus in ea urbe fuerat: quem à se, & ab aliis deinceps servari Mahumetes voluit. Georgius ubi Patriarcha factus est, *Gennadii* nomen assumpsit, sive potius retinuit, nam ubi Monasterium ingressus, assumerat, ut vult R. Simon. Hunc autem Gennadium, quem Marci modò memorati discipulum quidam volunt, eundem cum Georgio Scholario, non diversum, ut multi putarunt, facit, ac validis rationibus tuetur R. Simon. Scholarius antequam Patriarcha fieret, Florentino Concilio modò dicto ipse etiam interfuit, & pro unione Græcorum, ac Latinorum pluries declamavit, & eloquenter; atque Apologiam pro quinque Capitibus, in Decreto unionis contentis, confecit, ac pro Græcorum Schismate pugnavit. Citatus R. Simon asseverat, ipsum antea Georgium Scholarium dictum, cum Imp. Constantinopolitani à secretis, & à concionibus erat: Gennadium verò cum se publicis negociis abdicans, Monasterium ingressus est; quod nomen Patriarcha electus retinuit. Contra vero Leo Allatius Diatriba de Georgiis 70. asserit, Georgium Scholarium, qui Monachus factus Gennadii nomen assumpsit, alium omnino fuisse a Patriarcha Constantinopolitano; utrosque tamen contemporaneos vixisse. Fuit ille Latinorum hostis acerrimus, ac librum contra Concilium Florentinum conscripsit, quem hæretici recudi curarunt. Hunc Patriarchæ Gennadio falsò tribuunt. In hunc librum scripsit Allatius.

De Scholario ita Gesnerus in Biblioth. *Georgius Scholarius defensiones pro Aristotele scripsit, à Georgio Gemisto refutatus, ut supra diximus. Georgii Scholarii in quinque voces Porphyrii. Item Monodia in dormitionem S. Marci Archiepiscopi Ephesini. Venetiis in Bibliotheca ad S. Antonium manuscripta extant Græce. In Bibliotheca Imp. Viennæ habetur Georgii Scholarii de Processu Spiritus Sancti, & ejusdem liber secundus de Processione Spiritus Sancti à Patre ad Comnenum Magnum in Trapezuntio Regem. Græce manuscripta fol.* Et Jonsius Hist. Phil. l. 3. c. 21. loquens de Gemisto Platónico subdit: *Contra quem causam Aristotelis tuebatur Georgius Scholarius, cujus argumenta pro Aristotele iterum refellebat Gemistius peculiari libello, &c.*

HIERONYMUS CARDANUS

Mediolanensis, Philosophus Peripateticus, & Medicinæ professor in alma Academia Bononiensi, ex Patricio Stemmate natus, vel potius per vim, ut ipse de se testatur, ex utero extractus, capilloque prælongo nigro in lucem editus an. 1501. patre Facio Cardano, illustri Jurisconsulto, cum mortuus haberetur vini lavacro revixit. Fuit mater ejus, quæ Clara Micheria vocabatur,

cabatur, morosa adeo, ut Hieronymum utero gestans, plura ad hujus abortum provocandum, medicamina sumpserit, licet frustra, ut id ipse in libro *De Vita propria* testatur. Et in l. 3. *De Consolatione* ait, Mediolanense Collegium socium ipsum admittere repugnasse, quod eum legitimum esse dubitarent. Homo fuit prodigiosus, teste Morhofio, in omni genere scientiarum novator in omnibus, imprimis in Philosophia, & Medicina, & Polygraphus si quis alius. Et quidem, Aristotelicus licet, in tota Peripatetica Philosophia reformationem quandam molitus est, Cabbalistica, & secretiora in philosophando sectatus. Unde spiritibus mundum complet, quibus similis quis evadat, cujus animus per Philosophiam fuerit purgatus: & his similia adstruit. In cit. libello de vita propria, qui separatim editus, & suis operibus præmissus habetur, perspicue, & cum portentosis sæpe narratiunculis admixtis, suos mores, ingenium, fortunam, opes, & eventus omnes, ingenue descripsit. In eo non solum enarrat, quid in quovis genere scientiarum, in Dialectica, Arithmetica, Geometria, Musica, Physica, Astrologia, & Medica re, cæterisque artibus præstiterit, atque invenerit, verum etiam quot, & quantis vitiis in vita sua laboraverit, ipse significat; ex quibus educitur, ei valetudinem fuisse non firmam. In eodem de Vita sua libello alter etiam extat de præceptis ad filios. Ob Astrologiæ, Metoposcopiæ, & Chiromantiæ singularem cognitionem multis Magnatibus gratissimus fuit. Cum statuisset, millesimo quoque anno vix unum perfectum Medicum existere, superbius septimum se eorum fecisse dicitur. Ejus implacabilis in omnibus detractor semper fuit Jul. Cæs. Scaliger, ut mox in Scaligero etiam dicam, qui, faniorum criticorum judicio, ut Cardanum in literariis rebus eruditione superabat, ita à Cardano in Physicis superabatur. Obiit Romæ fame voluntaria, ut Thuanus ex communi sui temporis sententia scripsit, an. 1576. æt. 75. eo ipso anno, & die, quo se prædixerat moriturum, ut sua prædictio impleretur. Contra tamen est Bælius, aliique.

Scriptit, laudis cupidissimus, & immortalitatis gloria succensus, in omni fere scientiarum genere libros pene innumeros, qui 10. Tom. in f. continentur: quorum argumenta, tempus, occasionem, ipsemet peculiaribus libellis ad id editis nobis recensuit, & exposuit. In iis plura ad Dialecticam, Physicam, omnemque Philosophiæ partem, ad Mathesin, Medicinam, Astrologiam, &c. spectantia, invenies. Hos recenset, præter alios, Vander Linden de Script. Medic. ex Catalogo, quem ipse Cardanus contexit, ut diximus, & Gesnerus in Bibliotheca.

De Cardano plura sunt autorum testimonia, ex quibus hæc notatu digniora. Vossius de Mathem. p. 41. *Non sine laude nominandus est Hieronymus Cardanus . . . Qui in Naturæ scientia, ac Medicina, aliisque tot nova adfert, ut summus vir Andreas Alciatus eum vocare soleat Virum Inventionum. Quin ingenium profundissimum, felicissimum, & incomparabile, ei tribuit Cæsar Scaliger: quæ magna est laus ab Adversario tam gravi, & acerbo. Hæc autem ejus laus ita est apud Jul. Cæs. Scaliger. in judicio suo de Cardano: Orbata est Resp. literaria viro maximo, atque incomparabili: eamque jacturam fecit, quam fortasse nullis posthac seculis reparare possit . . . Cum in viro docto tres partes omnino excellere debeant, morum integritas, atque civilitas, eruditio varia, & multa, ingenium summum cum acerrimo judicio conjunctum; tria hæc illa puncta adeo plane tulerat, ut ad unum modò totus pro se, solus pro omnibus à natura factus esse videretur. Sam. Parker in Disput. de Deo disputat. 1. sect. 25. Et quidem eo præditus erat animi acumine, ut magnus Philosophus fuisset, si Peripateticus non esse ausus fuisset . . . Tam vana ubique cum in Astrologia sua, tum in cæteris suis inanibus disciplinis, de Deo, Divinaque Pro.*

Providentia commentatus est, ut quicumque legat, non omnino Atheum, sed totum Fanaticum fuisse concluderet. Ejus Opera omnia, quæ de Medicina non tractant, prohibentur nisi corrigantur. Vide etiam Voss. de Idolol. l. 3. c. 80. Thuan. Thomaf. L. Grassum, Rapin. &c.

JULIUS-CÆSAR SCALIGER

Vir Poëtices, Medicinæ, Philosophiæ, Græcæ linguæ, ac liberalium omnium artium peritissimus, natus est in Castro Ripa ad lacum Benacum in agro Veronensi die 23. April. 1484. patre Benedicto Scaligero, bellatore fortissimo, ex antiquissima Scaligerorum, Principum quondam Veronensium, familia oriundo, ut ipse Julius testatur. In adolescentia Monachis Ordinis Sancti Francisci aggregatus, sed mox ab ipsis iterum abstractus, juventutis annos in bello transegit, in quo Magister Equitum appellari meruit. Italiam, Germaniam, atque alia Europæ loca peragravit; Tandem etiam militia relicta, literis se totum addixit. Ex Italia Aginum, sive Aginnum, & Agennum, secessit, quæ Aquitanix urbs est, ibique Medicinam feliciter exercuit, donec ibidem obiit an. 1558. æt. 74. Suum ortum, vitam, & obitum ipsemet expressit hoc Epigrammate, quod suo tumulo inscriptum legitur:

*Extulit Italia, eduxit Germania, July
Ultima Scaligeri funera Gallus habet.
Hinc Phæbi dotes, hinc duri roboræ Martis
Reddere non potuit nobiliore loco.*

Filios post se reliquit Sylvium, Medicum, & Josephum-Justum, bonorum æque, ac docti spiritus hæredes. Hostes habuit acerrimos Gasparum Sciopium, Hieronymum Cardanum, & Erasmus Roterodamum, contra quos etiam scripsit: Criticæ enim addictus erat, quæ multorum sibi odium comparavit. Elate nimis de Familia sua sentiebat, asserens, se è Scaligeris, Veronæ, aliarumque Civitatum dominis, ortum habere. Quod pluribus argumentis probare satagit in opere ad hoc edito, cui titulus: *Testimonia de Gente Scaligera*. Hac tamen in re plures quidem habuit sibi assentientes, dissentientes plurimos. Non semper orthodoxus in Religione fuisse dicitur nonnullis: quod confirmare videtur Scaliger filius, qui in Scaligerana posteriori ait: *Pater meus quadriennio ante obitum semi-Lutheranus erat*. Sed defenditur à multis, qui asserunt, ea, quæ suis operibus heterodoxa sparsim leguntur, non sua esse, sed à Calvinistis inserta, qui etiam Poëmata, quæ in Sanctorum laudem ipse concinnaverat, abstulerunt. Certum tamen illud est, vere Catholicum obiisse, atque in Augustinianorum Ecclesia Agini in Gallia sepultum fuisse.

Scripta ejus, quæ plura, & omni eruditione refertissima, sunt; præter dictum: *Exercitationum Exoticarum lib. 15. ad Hieron. Cardanum* (in quos Exercitationum libros suas Meditationes evulgavit Joh. Sperlingen Vittembergensis publicus Philosophiæ Professor) *Epistolæ, & Orationes. De Causis linguæ Latinæ. Hymni, & Poëmata Sacra. Epigrammata in clariores Urbes. Poëmata de Ajace Lorario. Comment. in Hipp. de Insomn. Oratio in luctum Filioli Andæti. Oratio in partu Filii habita. Comment. in Arist. de Plantis. Comment. in Theophrasti lib. de Plantis. De Poëtica. Doctrina veræ Alchimie, atque Artis Metallicæ. Oratio pro Cicerone contra Ciceronianum Erasmi. De Sapientia, & Beatitudine. Elysus. De Numeris Conicis.*

Nimius forem, si cuncta Autorum de Scaligero præclara testimonia vellem hic enumerare. Satis sit à Vossio summis laudibus efferri, à quo in Instit. Orat. sæpe vocatur *Naturæ Miraculum: Vir nunquam sine laude dicendus: Vir ad unguem*

unguem factus : Magnus Naturæ Myſtes : Summus veterum cenſor , ac deliciæ omnium , quorum intereſt vacare muſis , &c. Lipſius cent. 2. Epist. 44. Tres ſunt , quos admirari unice ſoleo , & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigi- um videntur , Homerus , Hippocrates , Ariſtoteles ; ſed addo hunc quartum (videl. Julium Scaligerum) qui natus ad miraculum , & gloriam noſtri ævi . Et ibidem ep. 9. & de recta pronunciat. Lat. ling. cap. 7. pluribus laudat : potiſ- ſimum vero cent. 11. ep. 6. ubi : *Quod de Tullio dixit vetus Magiſter , Profeciſſe multum , cui is placeret ; ego verius , Magnum eſſe , cui Julius iſte Magnus .* Et Thuano ad an. 1558. dicitur *Vir , quo ſuperiorem Antiquitas vix habuit ; parem certe hæc ætas non novit .* Thomaf. de Plagio : . . . *Utut iſta ſe habeant , æquum eſt , ut ſummis in rem literariam meritis Viri , quo nec major Philoſo- phus ab Ariſtotele , nec major Poëta ab etate Virgilii , nec major Medicus ab Hippocrate vixiſſe cenſetur , & hic , & alii lapſus à nobis condonentur .* Auto- res , qui ex odio magis carpunt , prætereo . Sed ego cum Huet. de Clar. Inter- pret. Ital. illud maxime mirabile duco , quod diſciplinæ pene omnes capaciſſi- ma mente complexus ſit , *ὀφειμαδης* licet , hoc eſt , ſerò doctus ; unde & *Ariſto- teles ſui ævi* , à quibuſdam meruit appellari , ut refert Ghilius . Et quidem Ariſtotelicæ Scholaſticorum doctrinæ primùm addictus fuit quam maxime hic eruditorum ſui ſæculi princeps . Quare ait Jonaſ. Hiſt. Phil. 1. 3. c. 26. *Hic forte majora in Philoſophia præſtitiffet , niſi primo adeo deditus fuiſſet Scholaſticis , quod ipſe queſtus eſt in Commentario in Hippocr. Vide etiam Bezam in Icon. Vir. illuſtr. Meibom. C. Barth. Dan. Georg. Morhof. in Polyhiſt. Ghilin. Theatr. Ital. &c.*

GEORGIUS AGRICOLA

Germanus Philoſophus , ac Medicus natus eſt Clauchæ Miſniæ oppido 24. Martii 1494. In Græca , & Latina lingua , Philoſophia , & Medi- cina celebriores ſui ævi profefſores magiſtros habuit . De eo ita Vander Linden de Script. Medicis : *In Valle Joachimica Medici munere functus eſt : inde Chemnitium migravit : rei Metallicæ ſtrenuus , ac indefeſſus indagator : ſcripſit aliquando ad Duces Saxonie , partem regionis eorum ſubterraneam eſſe pretio- ſiorem omnibus iis , quæ ſupra terram poſſiderent . Obiit Chemnitii Hermund- rorum A. C. 1555. æt. ſuæ 61.*

Scripta ejus , quæ multa , & cunctis commendata , ſunt : *De ortu , & cauſſis ſubterraneorum . De Natura eorum , quæ effluunt è terra . Lapis Philoſophicus . De re Metallica . De Fossilibus . De Menſuris , & Ponderibus . De animantibus ſubterraneis . De Peſte . De medicatis fontibus . De veteribus , & novis me- tallis . De pretio metallorum , & monetis , &c.* De quibus omnibus tale eſt Thua- ni judicium ad an. 1555. *Georgius Agricola de re Metallica , Fossilibus , & ſub- terraneis animantibus , ita accurate hoc ſæculo ſcripſit , ut omnes antiquos in eo genere longe ſuperaverit ; & exacte non ſolum eorum , quæ à veteribus pro- dita ſunt , explicatione , ſed & multarum rerum , quas veniens ætas indaga- vit , veſtigatione , eam Hiſtorie Naturalis partem illuſtraverit ; addita poſt Gulielmum Budæum , Leonardum Portium , & Andream Alciatum , de Pon- deribus , Menſuris , de pretiis metallorum , & monetarum diligentiffima tracta- tione . Summe etiam laudatur ab Eraſmo in Epistolis ; Bodino in Meth. Hiſt. & Melch. Adam. in Vita ejus : ubi , ipſe in Pontificia Religione obiſſe di- citur , quamvis antea Proteſtantium dogmatis adhæſiſſe viſus ſit : quod etiam confirmat Ant. Teiſſier in Elog. Vir. Erudit. quicquid contra dicatur in Scali- gerana 1. p. 80. ubi ipſe in doctrina quidem laudatur , ſed impius , nullique Re-
ligioni*

ligioni addictus dicitur, ut post mortem vix sepeliri meruerit. A Quenstedt appellatur Germaniæ Plinius: à G. J. Vossio diligens, & eruditus scriptor: à Fabricio Vir eruditione, & iudicio præstans, ac celeberrimæ famæ, &c. Alciatus contra eum scripsit, cui ipse erudite respondit. Vide etiam Schesferum, &c.

ULYSSES ALDOBRANDUS

Aldrovandus, & Aldroandus, Bononiensis, Philosophiæ Peripateticæ, & Medicinæ in patriæ Academia Professor insignis (cujus elogium eleganti carmine confecit Massæus Barberinus Cardinalis, qui fuit deinde Urbanus VIII.) naturæ operum inspector solertissimus, varietate doctrinæ, scriptorum copia, & mente perspicacissima sapientes præteriti ævi scriptores æquavit, sui seculi superavit. Ulyssis . . . ος μάλα πολλά — Πλαίγχθη . . . ut nomen fortitus, ita & vitam imitatus, remotissimas Orbis regiones peragravit, ut, exoticorum præcipue, quadrupedum, volatilium, reptilium, & piscium, lapidum item, metallorum, & monstrorum naturam, proprietates, & virtutes intimius rimaretur. Quæ ut ad vivum depingerentur, veriusque exculperentur, suo ære per 30. & amplius annos Artifices varios totius pene Europæ celebriores conduxit; eaque propter tantos sumtus fecit, ut inde ad extremam paupertatem redactus, visuque orbatus, in Xenodochio Bononiensi, ut nonnulli referunt, valde senex obierit A. C. 1605. Vander Linden de Script. Med.

Scripsit de animalibus omnibus, plantis, cæterisque naturalibus, aliisque rebus; Paraphrases, & Adnotationes in Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, Porphyrium, Vitruvium, Plinium, &c. quæ longum esset omnia numerare. Enumerata vide apud Joh. Imperialem in Mus. Hist. & Phys. De quibus, aliisque rebus Tractatus edidit 120. elegantissimos, & varia eruditione refertissimos. In his tamen, etsi laudabilibus, Græcarum literarum ignorantiam notat Ezech. Spanhemius in Tract. de Præstantia, & usu Numism. Antiqu. Et Voss. de Idolol. lib. 3. c. 9. 1. quamvis illum valde commendat, tamen Metricæ Artis incitiam ex aliorum sententia in eo adnotavit.

Ex multis tanti Viri laudibus unam vel alteram ex autoribus attingere satis sit. Aub. Miræus de Script. Eccles. p. 2. *Ulysses Aldrovandus, illustri Comitum Aldrovandorum familia oriundus, in Gymnasio Bononiensi Naturalis Historiæ professionem tam feliciter implevit, ut omnium ante se genitorum diligentissimus, etiam post futuris hujus palmæ gloriam præripuisse videatur, &c.* Georg. Casp. Kirchmayer in Præf. ad Joh. Sperlingii Zoologiam: *Omnium, quicumque vel scripsere, vel scripturi sunt, operosissimus, & consummatissimus extitit Zoologus Ulysses Aldrovandus, Philosophus, & Medicus Bononiensis, quem non dicam commendare, sed admirari satis, aut condigno, pro immensis Zoologiæ gratia impensis, cum sumtibus, tum laboribus, macerare præconio nemo unquam poterit, &c.* Vide etiam Anton. Bumald. in Bibl. Bonon. Crass. Elog. Vir. illustr. &c.

JOHANNES CASE

Sive Casæus, Philosophus Peripat. & Medicus Anglus, qui in Universitate Oxoniensi docuit, ubi & mortuus est an. 1600. clarus ex suis operibus fuit, quæ sunt: *Comment. super Aristot. Organum. Philosophia Ethica. Economica.*

mica . Encomium Musices , &c. Vide Pitseum de illustr. Angl. Script. & Le Mire de Script. sec. 16.

T H O M A S D E V I O

Cajetanus etiam appellatus , quod Cajetæ Urbem maritimam , & munitissimam Neapolitani Regni in provincia Terræ laboris , patriam fortitus fit ; Prædicatorum Ordinem ingressus , Doctoratus insignia annos natus vix 22. obtinuit , ac Philosophiam , & Theologiam Parisiis , ac Romæ docuit . Deinde Generalis sui Ordinis Magister factus , annos 10. hoc munere laudabiliter functus est . Eximium *Opus de Potestate Pontificis* composuit ; in cuius , aliorumque meritorum præmium Episcopus Cajetæ primum electus , deinde Archiepiscopus Panormitanus , tandem à Leone X. Pont. Cardinalis creatus est an. 1527. Inde Germaniam contra Lutherum missus est ; atque tandem mortem obiit 1534. æt. 65. Opera tum Philosophica , & Theologica , tum etiam Commentarios in aliquot S. Scripturæ libros post se reliquit , atque alia , quæ pluribus Tomis in f. continentur .

Vir fuit summus ingenio , moribus amabilis , pietate eximius , itaut ab ipsis etiam hæreticis , suis , Ecclesiæque hostibus , laudes promeruerit . Dan. Chamier. *Omnes Epistolas Novi Testamenti , & Actorum librum recensuit ad veritatem Græcam , & Adnotationibus illustravit infra spatium circiter decem mensium .* Joh. Dallæus : *Thomas de Vio Ecclesiæ Romanæ nobilissimus Cardinalis , acerrimi viri iudicii , Theologus in Schola Latina longe celeberrimus .* Si hæc ab inimicis , quid promeruit ab amicis ? Unum Sixti Senensis testimonium proferam , qui ait : *Vir tam vitæ sanctimonia , quam ingenii præstantia illustris , subtilissimus Dialecticus , admirabilis Philosophus , Theologus incomparabilis , & inter eruditissimos doctissimi sui seculi longe eruditissimus .* Hic in extrema senectute sua , post innumeras lucubrationes in Aristotelis Philosophiam , & in omnem D. Thomæ Theologiam editas , totam Veteris , ac Novi Testamenti molem juxta literæ sensum , omnium difficillimum , ex Hebræa , & Græca veritate nudo , brevique sermone exposuit , exceptis Cantico Canticorum , & Prophetis , quos moriens inchoatos deseruit , & Apocalypsi , quam de industria intactam reliquit , inquit , in ea exponenda non ingenio , sed divinatione opus esse . Vide etiam Bzovium , & Spond. in Annal. Bellarm. de Script. Eccles. &c. potissimum verò ejus Vitæ scriptores Jul. Cæs. Capycium , & Joh. Bapt. Flavium .

A N T O N I U S G O V E A N U S

Magnum Lusitaniæ decus , Jurisprudentiæ lumen , Poëseos , Rhetorices , omnisque penitioris literaturæ ornamentum ingens , magnum Peripateticæ Philosophiæ , cuius callentissimus erat , propugnaculum , ex nobili familia ortus est in Lusitaniæ urbe , quæ Pax Julia , vulgo Beja , dicitur . Parisiis in omni scientiarum genere eruditus , tantam apud omnes famam assecutus est , ut omnium ore , omnium calamis vel vivus etiam fuerit commendatus . Illud unum de tanto viro , qui omnes omnium laudes superat , dixisse sufficiat , Jacobum Cujacium , doctissimum cæteroqui virum , & ex professione æmulum , illius ingenium admiratum fuisse , laudasse , ac ne sibi gloriam præriperet , pertimuisse . De Goveano ita Thuanus ad an. 1565. *Is genere Lusitanus , sed*
ado-

adoptione (sicut, quo erat animi candore, palam profitebatur) Gallus, cum puer, & literarum rudis ab Andrea Goveano patruo in Galliam adductus est, tanta felicitate in humanioribus studiis ingenium exercuit, ut nemo purius Latine scriberet, nemo versus elegantius pangeret. In Philosophia vero Aristotelica tantum profecit, ut ejus patrocinium jam tum in illa juvenili ætate contra Petrum Ramum, ejus importunum oppugnatorem, magna cum laude suscepit. Postea, quasi omnium scientiarum capax ingenium illius esset, quodque singuli in singulis, ipse unus in omnibus præstare posset, ab Æmilio Ferreto, qui Avenione Jus Civile docebat, cum Lugduni privatis studiis intentus desideret, ad illius perplexæ scientiæ professionem evocatus est; in qua rursus exiguo tempore tantos progressus fecit, rationem veram enodandarum ex antiquitate spinosarum Juris quæstionum statim animo complexus, ut Jacobus Cujacius cum Tolosæ ante undecim annos in Ulpiani titulos scriberet, jam tum testatum reliquerit, Goveanum ex omnibus Juris Justiniani Interpretibus, quotquot sint, aut fuere, unum esse, cui si quæeratur quis excellat, palma deferenda sit.

Primum Tolosæ, deinde Divonæ Cadurcorum, postea Valentia, & Gratianopoli Jus Civile professus est. Belli Civilis causa è Gallia, quam unice adamabat, secessit Sabaudiam; cujus loci Duci Philiberto à secretis Consiliis fuit: ubi tandem ex immodico peponum esu mortem obiit an. 1565. Filium reliquit, à patris spiritu, & doctrina non degenerem, qui Caroli-Emmanuelis, Sabaudia Ducis Consiliarius fuit, ac Erudita, & Legalia plura scripsit. Notandum tamen hic est, hunc Antonium Goveanum non confundendum cum Antonio Goveano, etiam Lusitano, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ac deinde Episcopo apud Indos, qui patria lingua quædam scripsit.

Scripta ejus, præter Poëtica, Erudita, & Legalia, quæ multa, & cunctis commendata, sunt ex Philosophicis: *Critica Logices pars, certans cum Ciceronis Topicis. Responsio ad Petri Rami calumnias pro Aristotele. Porphyrii quinque vocum traductio Latina.* Gesnerus in Bibl. ait, Goveanum integram Aristotelis Organi conversionem promississe. De viro tam laudabili ita Konig. in Biblioth. *Goveanus communi Doctorum suffragio hoc assecutus est, ut & Poëta elegantissimus, & summus Philosophus, & præstantissimus Juris Interpretes haberetur.* Autor Bibliothecæ Delphinatus asseverat, illum fuisse accusatum, quod de Numine perperam Valentia locutus esset, adeo ut ipsi incubuerit eam culpam à se depellere; quod & præstitit eximia Oratione, quæ manuscripta quondam visa fuit in Bibliotheca Enemundi de Rabat primarii Præsidis in Senatu Gratianopolitano. Unde in Scaligerana posteriori à similibus calumniis ita defenditur: *Calvinus vocat illum Atheum, cum non fuerit: debebat illum melius nosse.* Et in Scaligerana 1. sic jure laudatur: *Goveanus doctus erat Vir, & valens Dialecticus, optimus Poëta Gallicus: nec enim Hispanum judicaveris, adeo bene Gallice loquebatur.* Vide etiam Papir. Masson. in Elog. Jac. Cujacii: Schot. N. Ant. Ghil. &c.

LUDOVICUS SEPTALA

SIve *Septalius*, Mediolanensis Philosophus, ac Medicus excellens, corpore fuit procerus, prævalido, apteque constituto, facie gravi, ac rosea, crine subnigro, prælonga barba, primum fulva, deinde cana, ore hilari, facundia singulari, morum suavitate omnium sibi animos conciliante, quare omnibus, exteris etiam gratissimus fuit. Ludovici Septalii avi paterni, ac materni Joh. Francisci Ripæ, insignium jurisconsultorum semitas primum se-

status est. Sed rixosæ hujus vitæ pertæsus, foro se abdicavit, ac Philosophiæ, Medicinæque studiis se addixit. Propter magnam ejus doctrinæ famam Rex Catholicus Philippus III. ut ipsum ad se adduceret, Regii Historiographi munere decorare decrevit; ac Bavarix, Hetruriæque Duces, Venetæ Reip. nuncii, aliorumque Europæ Regnorum Principes, ipsum in proprias Academiæ, præmiis ultra seculi morem magnis, accersiverunt; sed frustra, nam patriæ, ac propriæ numerosæ familiæ suæ, quæ septem maribus, ac sex feminis componebatur, amore detentus in patrio solo est, oblatis sibi splendidis congiariis repudiatis. Verùm Philippus IV. Hispaniarum Rex an. 1628. amplissimo diplomate ipsum Protophysici Generalis in Statu Mediolanensi excelsa dignitate donavit. Mox Apoplexia correptus, validissimo remediorum usu, sed nonnisi quadriennio post, evasit. Tandem ex ardenti febre, & alvi fluxu an. 1633. sive 1630. ut ex aliis, obiit octogenario major.

Mediolani Politices, ac Moralium Professor fuit; ubi scripsit, præter Medica, *Commentaria in Aristotelis Problemata, Politicam, & Ethicam. Politicam* etiam Italico sermone evulgavit; & *De Margaritis Judicium*. Vide Vander Linden, Imperialem in Mus. Hist. Crassum in Elog. P. Castellan. &c.

QUIRICUS STROZZI

Florentiæ ex nobili Patriciorum ordine natus, totius fere orbis peregrinatione celebris, Architectonica scientia, qua pollebat, celebrior, Peripatetica Philosophia, quam perfecte callebat, celeberrimus fuit. Aristotelis libris 8. de Rep. nonum, & decimum de suo addidit, qui adeo Stagiritæ spiritum redolent, ut ejus diceres, nisi Poëtarum versibus essent referti. Clementis quoque Alexandrini libros 8. Stromatum Latinos fecit. Græcarum literarum ac Philosophiæ, eximius Professor fuit primum Florentiæ, deinde Bononiæ, ac Pisis, ubi mortem obiit an. 1565. æt. 63. Vide Thuanum in Hist. Papir. Masson. &c.

BERNARDINUS TOMITANUS

Patavinus Philosophus, ac Medicus, in cujus Archigymnasio Logicen ad annos plurimos professus, celebriores sui ævi viros Petrellam, Comnenonum Cardinalem, Zabarellam, aliosque erudit, peste tandem sublatus est an. 1576. Scripsit, præter Eclogas, & Erudita, *Introductionem ad Sophisticos Elenchos Aristotelis, & brevem Methodum diluendorum Paralogismorum per divisionem, præter illa, quæ Aristoteles habuit in Elenchis. In Aberratione Contradictionum solutiones. Opusculum de Ideis, &c.* Joh. Imp. in Mus. Hist. Jac. Philip. Thomasin. in Elog. Wading. Gesner. &c. Alius ab hoc fuit *Bernardinus Tomitanus*, Franciscanus, qui sec. 15. floruit, & Ascetica quædam tantum composuit.

JACOBUS, ET JULIUS ZABARELLA

Ex illustri Zabarella familia Patavii orti sunt. Quorum Jacobus Julii pater S. R. Imp. Comes (quem speciosum titulum Maximilianus Imp. suis majoribus tribuerat) in omnibus Matheseos partibus, maxime autem in Astrologia, & Philosophia excelluit, multis prædictionibus ab eo factis, & eventu probatis, suam in Astrologia peritiam confirmantibus. Impietatis, & Atheismi accusatus dicitur, quod Animæ Immortalitatem oppugnaret. De quo ita
Joh.

Joh. Imperialis in Mus. Hist. *Præterea impensus te aliquanto impugnasse Immortalitatem Animæ, deterrimam Alexandreorum sententiam palam professum: quos tamen de te rumores, ut forte ab exulceratis animis excitos, ita vel elusit posteritas, vel admirabili, ac prope divina tuarum virtutum fama compensavit. Idem asserit, illum discipulis suis stellam quandam ostendisse, & eam sibi funestam fore prædixisse, & quidem paucis post diebus obisse. Ejus verba ibidem sunt: Ea quoque floruisti Mathematicarum scientia, præsertim quæ ad astrorum dijudicationem spectat, ut plerique tunc temporis tuis dictis, tanquam oraculi responsis, natalis sui, ac rerum suarum commoda, vel incommoda metirentur. Sane jampridem adstante refertissima juvenum manu, sidus vespere commonstrasti micans in cælo, quod infestum tibi aliquid minari asseruisti: ac paucis dehinc diebus, vere nimis summum vitæ tuæ contigit fatum; ab acerrimo scilicet morbo omnium dolore confectus. Quod contigit an. 1589. Ejus exstant Opera Logica in f. Venetiis edita. Et quidem in Logica peritissimus erat, ut de ipso cit. Imperial. ib. Fudisti unus Sophistarum turbas: veræ Philosophiæ dogmata coluisti: Peripati spacia ab innumeris, quibus scatebant, vepribus repurgasti, quæ licet videantur communia cum cæteris, tamen (quæ tibi propria laus est) Logicæ facultatis decore adeo nitescunt, ut, cum cæteris aditum disciplinis Logica muniat, tum vel hoc nomine tu Scientiarum vindex nulli conferendus, omnibus præferendus esse videaris.*

Jultus, Jacobi filius, Mathematicus, & Philosophus etiam insignis fuit; sed ex libidinis veneræ, cui nimium indulgebat, usu, nervorum debilitatem incurrit, quæ ipsum lectulo fixit quinquennio ante mortem. Ejus Opera præcipua sunt: *Commentaria in libros Physicorum Aristotelis, & de Anima. De Naturalis scientiæ Constitutione. De tribus præcognitis. De medio demonstrationis, & de rebus Naturalibus lib. 30.* Thuan. in Hist. Thomasin. in Elog. Possevin. &c.

GULIELMUS XYLANDER

Vir doctissimus, & clarissimus natus est Augustæ Vindelicorum an. 1536. Heidelbergæ Græcas literas professus est, ubi & obiit an. 1576. æt. 40. ex Thuano, 44. ex Melch. Adam. Totam vitam tanta semper egestate transegit, ut rarò opus ullum solitus fuerit absolvere priùs, quam typographis venum traderet: tantumque lucubrando semper promoverit, quantum illi imprimendo absolvent: sicque ex propriis lucubrationibus typographis venditis, ad victum sibi, & familiæ necessaria ministrabantur, ut ait Melch. Adam. in Vita. Opera ejus celebriora sunt: *Geometrica, & Astronomica varia. Dialecticæ Institutiones Aphoristicæ Logices, & Mathematicarum. Adnotationes in Sleidanum de quatuor Imperiis. Plutarchi Opera cum adnotationibus. Strabonis Geographia, & Dionis Cassii Historia, cum adnotationibus, &c.*

Xylander magnus quidem vir, & in omni disciplinarum genere ita eruditus, ut paucos sibi pares in literis Græcis, Latinis, Hebraicis, Chaldaicis, in Astronomicis, Geometricis, Physicis, Arithmeticis, Musicis, cæterisque disciplinis Philosophicis haberet. A Vossio Vir eruditissimus appellatur: à Boissardo Vir varia eruditione refertus, &c. Valde quoque eum commendat Thuanus ad an. 1576. Huetius de Clar. Interpr. Jos. Scalig. Epist. 247. ad Salmasium, ubi errores, qui in ejus operibus forte notantur, ita excusat: *Caussam Xylandri hallucinationum nullam invenio, præter properantiam. Qui enim eum familiaritèr noverunt, ajunt, mercede invitatum à mercatoribus scripsisse, ut familiam aleret. Nam quemadmodum qui ejus eruditionem compertam habuerunt, per*

inscitiam eum peccasse nunquam concedent, ita qui tenuitatem fortunarum ejus non ignorabunt, facile illa παροξυμια excusabunt, atque condonabunt, quia neminem latet, eum summam vigiliarum suarum in celeritate posuisse: quæ si intra modum sit, diligentia est; si fines migret, est præcipitatio. Immerito tamen à Thuano mors ei ex intemperantia accelerata dicitur; & in Scaligerana 2. ebrius appellatur, etsi doctus; nam vitam sibi non intemperantia, non ebrietas succidit, sed continuæ, & ad vitam conservandam necessariæ lucubrationes cum immatura morte commutarunt. Xylander inter Hæreticos à Concilio Tridentino numeratur.

P E T R U S N U N N E Z

Sive Nonnius, Philosophus, & Mathematicus excellens, ortus est Salaciæ, quæ Lusitaniæ urbs erat, nunc pagus, vulgo incolis *Alcazar de Sal* appellatus. Sec. 16. floruit circa an. 1570. Sed majorem ne gloriam Nonnio Lusitania dederit, quæ sapientibus suis quamplurimis viris mater, nutrix, & decus; alienigenis vero tutum refugium, & gratum domicilium semper extitit; an Nonnius Lusitaniæ attulerit sive multiplici doctrinarum genere, quibus erat ornatus, sive tot egregiis operibus editis, quibus æternam sibi famam comparavit; illi dicant, qui præclarum Lusitaniæ Regni nomen perpensum, & exploratum habentes, & Nonnii magnarum ornamenta virtutum, totius orbis conspectui sæpius objecta, commendataque, ex quibus eximium in patriam decus redundavit, acri judicio recolentes, æqua lance perpendere satis erunt. Ex ejus Operibus præcipua sunt: *De Arte navigandi lib. 2. De Crepusculis lib. 1. Adnotationes in Aristotelis Problema Mechanicum de motu navigii ex remis. Adnotationes in Planetarum Theorias Georgii Purbachii, &c.* Vide Resendium in Antiqu. Lusitanar. Comm. Nic. Ant. Biblioth. Hisp. &c.

F R A N C I S C U S T O L E T U S

NAtione Hispanus, acerrimus Aristotelis propugnator, natus est Cordubæ an. 1532. quæ utriusque Senecæ, & Lucani natalibus clara fuit; de qua ita Martialis ad Licianum lib. 1. Epigram. 29.

*Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.*

In Salmantiæ Universitate Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit; ubi annos natus 15. publicus Philosophiæ Professor extitit, & quod alii vix in senectute assequuntur, hic in prima adolescentia promeruit. Hinc non immerito Salmanticense Gymnasium eum *Fidum, ac Subtilem Peripateticæ Philosophiæ Interpretem*, & Dominicus Sotus, suus inter cæteros præceptor, *Spiritum Monstruosum* appellare consueverunt. Societati Jesu deinde adscriptus, Romam missus est, ubi Philosophiam, ac Theologiam docuit tanta sui nominis fama, sui que animi virtute, ac probitate, ut pluribus Summis Pontificibus Sacri Palatii Orator, & Theologus electus, carissimus fuerit. Inter Christianos Principes lites composuit, ac præclara multa ad æternam sui nominis gloriam facinora patravit. Quare Clemens VIII. an. 1593. ipsum omnium ex Societate Jesu primum in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptavit; *Magnæ morore Societatis, extimescentis, ne aliis hoc exemplo aliqua ad ambitionem fenestra aperiretur*: verba sunt P. Ribadeneira in Catal. Script. Soc. J. Triennio post indutam Purpuram fatis concessit 14. Sept. 1596. æt. 64. ac in S. M. Majoris templo sepultus est.

Scriptit

Scriptit *Introductionem ad Logicam*. In *Logicam Aristotelis*. In 8. lib. *Physicorum*. In lib. de *Generat. & Corrupt.* In lib. de *Anima*. In *Evangelium D. Job.* & alia multa ad sacram doctrinam spectantia. Ipsum, ejusque scripta digne commendant cit. Ribadeneira, & Alegambe de *Script. Soc. J. Navarrus*, *Victorellus*, *Ughellus*, *Nic. Erythræus*, *Thuanus*; & quod mirum, ipsi etiam hujus notæ scriptores haud benevoli, *Molinæus*, & *Is. Casaubonus*. *Scaligerana* posterior sic paucis omnem *Toleti* laudem complectitur: *Toletus in Jobannembene scripsit, nemini obtrectat*. Vide etiam *Spond.* in *Annal. Eccles.* *Nic. Ant. Biblioth. Hisp.* &c.

Notandum hic, me quidem non præterire, doctissimos Philosophos *Suarez*, *Sanchez*, *Vasquez*, aliosque pene innumeros, in hac inclyta, omnique ævo in *Philosophia*, & omni doctrinarum genere florentissima *Societate Jesu*, quam honoris, & observantiæ causa semper nomino, extitisse, quos vel numerare longum esset. Sed cum omnes in *Peripatetica Philosophia* excelluerint; quod de *Toleto*, aliisque horum primoribus dixi, vel dicturus sum, de reliquis brevitati, ut consulam, dictum velim.

Notandum præterea, omnes doctissimæ hujus *Societatis Philosophos* vulgo *Neutrales* appellari, eo quod nec *Realibus*, nec *Nominalibus* addicti, purum *Aristotelis* textum interpretantur.

FRANCISCUS PICCOLOMINEUS

SEnensis ex illustri familia natus, *Aristotelis* sectator nobilis, cujus scientia ferme *Universalis* fuit, *ratiocinium* præstans, *eloquentia* copiosa, *comitas* incomparabilis, *virtute*, & *moribus* jucundissimus fuit omnibus. In *Maceratensi*, *Perusino*, ac tandem *Patafino Lyceo Philosophiam* magna laude professus est, ubi *Jacobum Zabarellam Collegam* habuit. In *Platonis* quoque *Philosophia* eruditus maxime fuit; quam etiam *Commentariis* exornandam susceperat: dicere namque solebat, *Platonis*, & *Aristotelis Philosophiam* duos quasi oculos *humani aciem intellectus* dirigere, quorum alterutro si quis careat, *Cyclopi* instar in hac rerum universitate labatur, necesse est. *Morte* tamen præventus inceptum laudabile opus perficere non potuit. *Patriam* enim visendi gratia domum rediit, ubi pluribus ad *Magnum Hetruriæ Ducem* legationibus perfunctus, doctrina, honoribus, & fama clarus obiit an. 1604. æt. 84. Ejus scripta præ cæteris clara sunt: *Universa de Moribus Philosophia*. *Universa Naturalis Philosophia*, &c. *Thom. de Vir. illustr. Imperial.* in *Mus. Hist. Ghil. Teatr. d' Huom. Letter.* &c.

Fuit & alter *Franciscus Piccolomineus*, ejus nobilis familiæ, ac inclytæ *Soc. Jesu*, cui fuit adscriptus, ornamentum ingens, in qua *Philosophiam*, ac *Theologiam* primum docuit, deinde *Generalis VIII. Minister* electus an. 1649. gloriose obiit an. 1651. ætat. circiter 69.

Nec reticendus ejusdem præclaræ familiæ decus *Alexander Piccolomineus* *Patrarum Archiepiscopus*, & *Senarum Coadjutor*, qui *Philosophus*, *Orator*, *Poëta*, & *Mathematicus* fuit illustris; cujus Opera sunt: *La Filosofia Morale*. *La Teorica de' Pianeti*. *L' Istruzione dell' Uomo*. *L' Istituzione del Principe Cristiano*, *Della Grandezza dell' acqua*, e *della terra*. *La Sfera Tesoro dell' uomo*, &c. Ejus etiam est *Opusculum* de restitutione *Kalendarii à Gregorio XIII. Pontifice* tentata; quod jussu *Francisci Medices Magni Ducis* evulgavit. Obiit *Senis* a. 1578. æt. 70. & in *Cathr. Ecclesia* sepultus est. Vide etiam *Voss. de Mathem.*

JOACHIMUS PERIONIUS

Benedictinus Cormæriacensis, natione Gallus, vir doctissimus, & Polygraphus si quis alius, claruit circa an. 1551. Aristotelis Ethicam Latinam fecit, & Commentariis illustravit. Quod item fecit in lib. 8. Arist. de Rep. sive Politicorum; quibus Observationes, & argumenta adjunxit. Arist. Categoria: de Interpretatione: Prædicamenta, Analytica utraque: Topicorum libri, & Elenchi ab eo conversi extant, & Adnotationibus illustrati. De Dialectica libros 3. etiam scripsit, una cum Orationibus in P. Ramum, accerrimum Aristotelis oppugnatorem, & cum Commentariis Cœlii Secundi Curionis, qui eosdem libros Dialecticos in Compendium redegit, junctim excusos. Vertit præterea ex Arist. lib. 8. de Natura: De Anima lib. 3. De Cœlo lib. 4. De Ortu, & Interitu libros 2. Parva, quæ vocantur Naturalia: Meteorologicorum libros 4. adjectis in singulos adnotationibus suis. Porphyrii Institutiones 5. vocum. Accedit liber Ciceronis de Universitate, conjunctus cum ea parte Timæi Platonis, cui respondet: itemque Arati Phænomena quæcumque exstant à Cicerone conversa. De Vitis, & rebus gestis Christi, Virginis, Patriarcharum, & Apostolorum. Topicorum Theologicorum lib. 2. Præterea Orationes plures. Conversiones è Græco in Latinum Dionysii Areopagite Operum cum Vita; Ignatii, Polycarpi Epist. &c. Quæ cuncta enumerat Gesnerus in Biblioth.

SEBASTIANUS FOXIUS MORZILLUS

Hispalensis, ubi natus est an. 1528. In Hispania, & in Belgio Philosophiæ, omnisque generis elegantioris literaturæ studiis eruditus est; & annos natus vix 20. optima quædam, & erudita edidit. Tanti viri igitur præclara fama permotus Philippus II. Hisp. Rex, ipsum ad se accivit, ut Serenissimi Caroli sui filii præceptor esset. Foxius ad Regi parendum promptior ut esset, & citius ad Regis Aulam perveniret, navim conscendit, qua naufragium faciens, in primo juventutis flore, & nos spe majorum operum cassos reddidit, & ipse nedum meliorem fortunam, sed vitam etiam in aquis perdidit. Ejus edita opera sunt: *De usu, & exercitatione Dialect.* *In Topica Cicer. Paraphrasis.* *De Honore.* *De Juventute.* *De Regno, & Regis institutione lib. 3.* *De natura Philos. seu de Platonis, & Aristotelis consensione lib. 5.* *De conscribenda Historia.* *In Platonis Timæum, seu de Universo, Commentarius.* *In Phædonem. Ethices Philosophiæ Compendium.* *De Demonstratione, &c.* Andr. Schot. & Nic. Ant. Biblioth. Hisp. Le Mire de Script. sec. 16. Naud. Bibl. Polit. Possevin. &c.

GERARDUS-JOHANNES VOSSIUS

Palatinus patria, sive Archipalatinus, eloquentia, & eruditione seculi hujus inter principes. Natus an. 1577. Dordraci literis incubuit cum Erycio Puteano. Dein eruditarum linguarum notitia exacte imbutus, præcipuas Europæ urbes invisit, ubique magna veneratione cultus. Reversus, Dordraci, Lugduni Batavorum, & Amstelodami docuit. Obiit an. 1650. Ex Hofmanno in Lex. Vossius licet Philosophiam speciatim non fuerit professus; inter Philosophos tamen jure merito recensendus, tum quod Philosophorum placita cuncta noverit, tum præcipue quod de Philosophia, ejusque Historia bene meritus fuerit elegantissimo libro à se conscripto *De Philosophia, & Philosophorum Sectis*, de quo id tantum dolendum, quod sicuti cœperat, non absolvit. Ejus siquidem
filius

filius ipsum edidit: & quamvis deinde recusus: cum supplemento Joh. Jacobi à Ryffel, Lipsiensis an. 1690. fuerit; imperfectus tamen ab eruditis censetur. De hoc Vossii libro ita doctissimus Morhofius Polyhist. 2. *Nemo majori cura accessit ad Philosophiam omnem, & ejus Historiam, tum qua Historiam, tum qua dogmata è fontibus, & incunabulis suis arcessenda, &c.* Pleniorum vero de Barbarorum Philosophia notitiam nobis dedit in elegantissimo suo *De Theologia Gentili, & Physiologia Christiana*, sive *De Origine, & Progressu Idololatriæ* opere; quod ex variis variarum religionum, & scientiarum scriptis, summa diligentia, & eruditione profus. singulari congeffit. Inter Philosophica ejus Opera etiam est *Liber de Natura Logices*.

Reliqua ejus Opera omnium manibus versata, & omnium ore commendata, omnique eruditione refertissima sunt: *Grammatica Latina. Rhetorica. De natura Rhetorices. Institutiones Poëticæ. Etymologicon Latinæ linguæ. De Historicis Græcis, & Latinis. De quatuor Artibus Popularibus. De Scientiis Mathematicis. Tractatus de Glossematis, vitiisque Latini sermonis. Theses Theologicæ. Harmonia Passionis Christi. Historia Pelagiana. Tractatus de Baptismo. De tribus Symbolis (quod prohibitum). De Arte Historica. Chronologia Sacra. Isagoge. Tractatus duo de cognitione sui, & de studiorum ratione. Institutionum Oratoriarum lib. 6. &c.* Quæ omnia conjunctim prodierunt Amstelod. Tom. 6. fol.

Filios habuit eruditione, & scriptis celebres quinque, Dionysium, Franciscum, Gerardum, Isaac, & Matthæum; cujus filius fuit Gerardus junior. Religione hæreticus fuit noster Vossius: aliquando enim Remonstrantium partes secutus est: verùm Andr. Rivetus in examine Animad. Hug. Grotii p. 68. testatur, eum ab Arminianis iterum ad Calvinistas transisse. Hinc de eo Joh. Card. Bona: *Job. Ger. Vossius omni doctrinarum genere, omnique eruditione mirabiliter excultus. Utinam Orthodoxa Fide imbutus fuisset.* Ejus in eruditione laudes pene innumeras, omnium etiam Criticorum ore celebratas, consultò prætermitto. Vide Konig. Joseph. Scaliger. Casaubon. Grot. Baud. Bœchart. Jonf. de Script. Hist. Phil. Salmas. Eryc. Putean. Valer. Andr. Bibl. Belg. &c. Multæ Vossii vitæ circumstantiæ videri possunt in ejus literis, Londini editis 1590. Vossii tumuli hæc fertur inscriptio:

*Hoc tumulo plorat Pietas, & candida Virtus,
Et lætu Pallas saxea dirigit.
Invida mors ridet, ridet quoque Vossius illam,
Dum calamo mortem vincit, & ingenio.*

ANGELUS CESI, SIVE CESIS:

DUX Aquæ Spartæ, &c. ex nobilissima, ac vetustissima familia Cesis, inter Romanas celeberrima, ortus Romæ ex patre Frederico, magnam sibi in literis, ac literarum patrocinio gloriam comparavit sub Urbano VIII. circa an. 1625. & 1630. Ut enim celebriores sui ævi literatos ad durum virtutis cursum promptiores, & alacriores redderet, *Lynceorum Academiæ*, omni ævo commendatissimam, Romæ instituit, quò in suo quique scientiarum genere eruditi ad optima quæque nova invenienda, difficilia capeffenda, aliosque in literis erudiendos, mutua æmulatione, gloriæque ambitione per quam facile ducerentur. Philosophiæ, Mathesi, ac præcipue Mechanicis, penitiori Literaturæ, sed omnium maximæ Physicæ totum se devovit. Ex ejus Operibus præcipua sunt: *Apicarium. De Cælo. Metallophytum. Tabulæ Philosophicæ.*

Moralia. Paradoxa. Monita, &c. Leo Allat. in Apibus Urban. Jan. Nic. Erythraeus. Pinac. Imag. illustr. 3. c. 25. &c.

BENEDICTUS PERERIUS

SOc. Jesu, natione Hispanus, patria Valentinus, natus est an. 1535. Dicendi Artem, & Aristotelis Philosophiam publice Romæ docuit, magno auditorum concursu, & plausu. Deinde D. Thomam multos annos interpretatus est, ac Sacras Literas explanavit, & editis Commentariis illustravit. Romæ, ubi semper vixit, obiit an. 1610. æt. 75. Scripsit, præter *Commentarios in Sacra Biblia, lib. 15. Physicorum, sive De omnibus omnium rerum naturalium Principiis, & Affectionibus*. Opera ejus omnia Tom. 2. in f. extant: quæ commendantur à Postevino, Alegambe, Lambecio, Rich. Simone, aliisque, sed carpuntur in Scaligerana posteriori, & à Casaubono.

ROBERTUS GIFANIUS

SIve, ut alii scribunt, Hubertus Giphanius, Burenfis Batavus, natus a. 1534. etsi Jurisconsultus, inter Philosophos tamen numerari meretur, tum quia Philosophiam Argentorati docuit, tum etiam quia, præter Historica, Erudita, & Legalia multa, *Commentarios in Aristotelis Ethicam, & Politicam* edidit. Altdorfii quoque & Ingolstadii Jurisprudentiam professus est; ac tandem in Aulam à Rodolpho II. vocatus, Consilarii Cæsarei titulo decoratus est. Pragæ obiit 1609. Philosophi item nomine insignitur ab aliis. Sic enim de eo Thuanus: - - - *Dein totum se Juris scientiæ, ac Philosophiæ studiis mancipavit, & voce, & scriptis rem literariam multum promovit*. Et Quensted, ac Georg. Remus in epist. ad Job. Caselium: *Hubertus Giphanius, Aulæ Cæsareæ Consiliarius, Jurisconsultus, & Philosophus celeberrimus, scriptis doctissimis notus, &c.* Mejer. in Præfat. ad Analys. Polit. Aristotelis sect. 47. *Non tam veræ Religionis, quam veræ Philosophiæ perpetuus, ac strenuus assertor extitit*. Ant. Teissier in Elog. Vir. Erudit. Gall. *Hubertus Gifanius Jurisperitissimus erat, in Philosophicisque & politicis literis eruditissimus*. Plura scripta in publicum emisit, quæ sagacium Criticorum existimationem promoverunt. Ejus *Commentarii in Aristotelem præstantissimi sunt, &c.* Vide etiam Thomaf. de Plag. sect. 4. & 5. Huet. de Clar. Interpret. Scioppium, qui eum Juris Asylum, Germaniæ Solem, Jurisconsultorum sua ætate principem vocat, ac de quo melius sit tacere, quam pauca loqui. Jos. quoque Scalig. Barth. Conring. Scaliger. 2. Gall. Valer. Andr. Bibl. Belg. &c.

JULIUS PACIUS.

NON pauci ex Jurisconsultis sunt, qui quoniam in Philosophia etiam celeberrimi, inter Philosophos jure merito sunt recensendi. Et quidem doctissimus Merillius in primis Legalium suarum Observationum capitibus aperte ostendit analogiam Jurisconsultos inter, & Philosophos; unde & eos invicem subæmulos vocat; ac sicut Philosophos, ita & Jurisconsultos in varias sectas abiisse. Inde ait, horum quosdam Stoicos, quod à rebus gerendis non abhorerent, secutos fuisse; atque eos in regulis brevibus, ac circa verborum originem, & proprietatem, atque alia multa sollicitudinem æmulatos; in quorum numerum Proculejanos refert, eorumque Principem Labeonem, Tuberonis auditorem, cum Chrysippo comparat; cujus etiam subtile disputandi genus secu-

secutum asserit: unde & tot apud Proculejanos juris subtilitates, & stricta disputandi ratio. Contra vero Sabiniani proportionem Geometricam, atque alia secundum Academicos, sicut Proculejani Arithmeticam secundum Stoicos, sequebantur. Alii denique aliorum Philosophorum doctrinam sectati sunt.

Sed ad Pacium redeamus. Philosophus hic, Jurisconsultus, Hebraicæ, ac Græcæ linguæ, atque liberalium fere omnium artium eruditissimus, natus est Vicentiæ a. 1550. Patavii Philosophiæ, & Jurisprudentiæ operam dedit. Tredecim annos natus Arithmeticam concinnasse dicitur. Patriam rediens, Episcopo delatus, quod prohibitos libros legeret, ut ejus judicium vitaret, ad Helvetiam fugit. In Heidelbergensi Universitate, ut victus necessitati prospiceret, Philosophiam docuit. Tum Beriga vocari voluit, ducto nomine à domo, quam Paciorum familia ruri prope Vicentiam habebat. Inde Germaniam, & Pannoniam venit, ubi Jurisprudentiam professus est. Postea Galliam petiit, & Sedanensi Universitati præfuit, quam diligenti studio, & doctrina insignem reddidit. Hanc tamen relinquere coactus propter bellum, quo Gallia premebatur, in Sabaudiam migravit: inde in Galliam Narbonensem, vulgo Linguadocam, reversus, Nemausum venit, & in Montis Pessulani Universitate Jura docuit: ubi cum celebri Peiresc amicitiam iniit; cujus ope, & consilio Aquensem Civitatem, quæ Provinciæ Metropolis est, se contulit, ut juvenes in disciplinis erudiret. Sed majoris stipendii causa Valentiam ad Allobroges, sive Delphinates transivit; ubi à Rege Consilarii munere insignitus est. Ejus tamen præclaræ virtutis fama in Europam omnem diffusa, magnis congiariis à Batavis, Pisæis, Venetis potissimum, Patavium professor accersitus, reliquis prætermisissis, ut patriæ gratificaretur, Patavium elegit, magno Itolorum fere omnium concursu in hoc celebri Lyceo docens, ubi suus etiam filius Cathedram à Venetis est consecutus; & ipse, composito *Libello de Jure Maris Adriatici*, Equestris Ordinis S. Marci insignibus decoratus est. Suæ denique familiæ, quam Valentiam reliquerat, precibus adductus, Valentiam reversus, ad annos aliquot solito more docens, ibidem obiit a. 1635. æt. 85. Ex continua hac tot Academiarum peregrinatione Inconstantis nota à plerisque affectus est. Quare ingeniose nimis lepido hoc disticho amicus quidam ludens ait:

Itala dat cunas tellus, Germania famam,

Gallia jus civis. Dic mihi quæ patria?

Suæ vitæ compendium eleganter expressit ipse Pacius in Elegia, quæ incipit:

Urbs genuit, Venetis condens quam Gallus in oris,

Hostibus à victis nomen habere dedit, &c.

Præter Legales multos, ac vere aureos ejus libros, scripsit etiam Philosophicos, qui sunt: *Institutiones Logicæ ad usum Scholæ Sedanensis. Organum Arist. Gr. Lat. cum Notis. Idem cum Notis, & Commentariis. Rudimenta Logicæ. Physici lib. 8. Gr. Lat. cum Comment. Libri de Cælo Gr. Lat. cum Comment. Doctrinæ Peripateticæ libri 3. Logicus, Physicus, & Politicus. Logicæ Disputationes. Aristoteles de Cælo cum Notis perpetuis.* Scripsit præterea *de Arte Lulliana*, cujus arcana in compendium redegit, ac felici eventu exercuit; quorum etiam ope memoria tenacissimus fuit eorum, quæ natura, & ingenio summa facilitate perceperat. Neque mirum, fuisse Pacium Peripateticum, & item Chymicum: non pauci namque fuerunt, qui etiamsi ex professo Peripatetici fuerint, Chymicam etiam Artem professi sunt.

Julius fratrem habuit *Fabium Pacium*, Philosophum, & Medicum suæ ætatis celeberrimum, natum septimestri partu a. 1547. Suas Facultates in patria docuit. A Ticini, sive Papiæ, & Messanæ Universitatibus, ut Professoris

munus obiret, & à Poloniæ Rege, ut suus Archiater esset, accersitus, omnia hæc patriæ, & familiæ amori posthabuit, Vincentiæ ad mortem usque permanens, quæ contigit 11. Octobr. 1514. æt. 67. Scripsit plura, quæ non adhuc sunt edita.

P E T R U S F O N S E C A

Natione Lusitanus, patria Visensis, adolescens annos natus 20. Societatem Jesu semper inclytam a. 1548. ingressus, ejus instituta, mores, doctrinam, sanctitatem sectatus, decus, quod ingens primùm à nunquam satis laudato Lusitanæ Regno, inde à semper laudabili Societate ipse tulit, majus in patriam, & Societatem literis retulit, & probitate. Graviore itaque disciplinas, quas in ea didicerat, laudabiliter in eadem professus est. Vir fuit eximio ingenio, judicio acri, prudentia in gubernando singulari: cujus non mediocre specimen dedit, cum Conimbricensis Collegii Rector, Domus Professæ Olyssiponensis Præpositus, Societatis Romæ Assistens, ac denique Lusitanæ Provinciæ Visitator fuit; ubi Catechumenorum domum; puellarum, in pudicitia manentium periculo, domicilium; Orphanorum, & egentium asylum, S. Marthæ Monasterium, atque alia pietatis opera, ejus potissimum industria facta, & sanctis legibus stabilita, Lusitana Resp. ad maximam sui populi utilitatem tenet, potitur, admiratur. Quare tanti viri pietatem, doctrinamque miratus Philippus II. Hisp. Rex, ipsum inter alios elegit, quos in Lusitanæ Regno quasi censes, morumque reformatores esse voluit, atque Japonis Episcopum primo loco nominavit. Gregorius quoque XIII. P. M. tanti Fonsecam fecit, ut ei non solum ad Societatem, sed etiam ad communem Catholicæ Ecclesiæ utilitatem spectantia graviora negocia commendaret: Sed Eboræ Olyssiponem ad Provinciale Societatis Congregationem vocatus, ibi ad feliciorē vitam abiit annos natus 71. Chr. 1619.

Ejus in Philosophia commendatissima Opera sunt: *In Isagogen Porphyrit. Dialectica lib. 8. Commentaria in Metaphysicam Aristotelis*, quam è Græco in Latinum ipse vertit, & Tom. 3. comprehendit. Alegambe de Script. Soc. Jesu. Balthazar Tellez Chron. Prov. Portug. Soc. Jesu l. 2. c. 37. Nic. Ant. Bibl. Script. Hisp. Le Mire de Script. sec. 17. &c.

F R A N C I S C U S P A V O N I

Magnum ejusdem Societatis ornamentum, natione Calaber, patriam sortitus est Catacium, celebrem, atque amplam Calabriae Ulterioris in Regno Neapolitano urbem. Literis valde, pietate maxime insignis, Philosophiam Neapoli in almo Societatis Collegio docuit: ubi celebrem Sacerdotum Congregationem ad Christianorum mores reformandos instituit, cui ipse plures annos cum præfuit, Christi milites ad animarum salutem verbo, & raræ suæ sanctitatis exemplo roboravit, & ad humani generis hostes perdendos missos voluit. Et quidem quomodo Christi fideles (si fides, juxta Pauli dictum, ex auditu) audient sine prædicante, & quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Unde Sacrarum Missionum Congregatio vulgo audit; cujus illud sanctum, ac salutare institutum semper fuit, & ingenti etiamnum fervore perseverat, ut ad quemlibet hujus Regni Episcoporum nutum Sacræ illius Congregationis Sacerdotes propriis sumtibus ad Christi messem operarii mittantur. Tandem doctrina, & pietate clarus Pavoni sanctissime obiit an. 1637. Ejus edita Opera sunt: *Summa Ethicæ. Introductio in Sacram Doctrinam Part. 3. Tractatus de Ethicis, Politicisque*

ticisque actionibus . Commentarius Dogmaticus , sive Theologica Interpretatio in Pentateuchum ; in Evangelium , &c. Vide Alegambe de Script. Societ. Jesu, Le Mire de Script. seculi 17.

CÆSAR CREMONINI

Peripateticus insignis , itaut *Genius Aristotelis , & Græcorum Interpretum Lucerna* diceretur , genere Mutinensis fuit . In Ducis Cæsaris Atestini Aula cum Patricio , Tasso , aliisque doctis viris primùm vixit . Ferrariæ inde docuit ; postea Francisci Piccolomini successor in Patavino Gymnasio Philosophiam professus est annos 40 . Vultu severus erat , invidus , maleficus , & maledicus , simulator , & quod pessimum , irreligiosus , ut ex ejus *Tractatu de Anima* cognosci potest , in quo ipsam , non secus ac brutorum , corruptibilem esse assertit . Ejus edita scripta , præter dictum *Tractatum* , sunt : *De Cælo . De Sensibus . De Calido Innato . De Semine . Dialectica Opus Posthumum* . Ex impia sua doctrina , quam , Aristotelem in deambulando imitatus , docebat , non nisi æternam sui nominis infamiam adeptus est ; ejusque libri non Bibliothecarum ornamentum , sed Bibliopolarum inutile pondus facti sunt . Obiit a. 1630. æt. 80. cum Patavium peste affligebatur .

JOHANNES GARNIER

Inclytæ Soc. Jesu ornamentum ingens , natus Parisiis an. 1612. primum humaniores literas , & Rhetoricam , deinde Philosophiam 10. annorum spatio Parisiis , alibique , ac tandem Theologiam annis 26. summa laude professus est . Vir fuit literatura omnigena , ac pietate insignis , Theologiæ præsertim , quam Moralem vocant , callentissimus ; quapropter de rebus ad animæ salutem pertinentibus undique consulebatur . Romam ad Societatis negocia componenda missus , Bononiam vix pertingens ægrotavit , ac 15. ægrotationis die ad plures abiit an. 1681. Scripta ejus Philosophica sunt : *Organi Philosophiæ rudimenta . Theses de Philosophia Morali* . Exstant præterea & alia plura varii argumenti ad res sacras , & eruditionem pertinentia . Vide ejus Elogia à P. Hardouïno collecta , & ejus Operibus præfixa .

PETRUS PETITUS

Medicus Parisiensis , & Academicus Patavinus , magnæ literaturæ vir , in Historia , & Poësi potissimum claruit sec. 17. itaut inter celebriores sui ævi Poëtas haberetur . Philosophiam etiam maxime coluit ; scripsitque Philosophicos *Tractatus tres : De Motu animalium spontaneo* , in quo partim Aristotelis de motu hujus principio sententia illustratur , partim nova musculorum motus ratio indagatur . *De Lacrymis . De Lumine* . Præter hos tres *Tractatus* , & versus plurimos , & elegantes , ad Historiam , Eruditionem , & Artem Medicam spectantes alios concinnavit , & publici juris fecit ; quales sunt : *De Amazonibus . De Sybilla , &c. Quædam etiam ejus Dissertationes manuscriptæ ab hæredibus servantur . De Spiritu Hominis . De Anthropophagis . De Nepenthe Homeri . De Nymphis . De Cruce . De Religione Christiana* . Hoc Petito Epitaphium M. de la Mannoye composuit :

*Par tribus unus eram Medicus , Vatesque , Sopsusque ,
Unus & ætate dignus obire trium .*

*Par tribus at quamvis fuerim, mibi vix tamen, eheu!
Unius. etatem fata dedere viri.*

JACOBUS THOMASIVS

Lipsiensis, ejusdemque Academiæ Eloquentiæ, & Philosophiæ Professor, Re-
ctorque Scholæ ad Thomam, vir eruditissimus, Historiæque Philosophicæ
deditus maxime, in qua egregia ingenii monimenta dedit. Stoicam doctrinam
illustravit Dissertationibus suis Stoicis, habitis Lipsiæ 1676. 4. Doctores Scho-
lasticos Latinos exposuit Dissertatione perbrevis peculiari, ibidem, atque eodem
anno impressa in 8. In hac primas doctrinæ Scholasticorum origines optime
omnium pertractavit. His adduntur Orationes 12. de Secta Nominalium, &
25. de Syncretismo Peripatetico. Quomodo autem philosophati sint gentiles ex
principiis variis, & ad variam, vel ipsius Dei, vel aliarum rerum nobilissi-
marum cognitionem pervenerint, idem exposuit in Schediasmate Historico, aliis-
que Dissertationibus suis, quas Halæ conjunctim filius multo doctissimus edidit.
Confer Lipsienses ad an. 1693. m. Sept. p. 428. Ita de ipso Jons. de Script. Hist.
Phil. lib. 3. c. 30. n. 11.

JOHANNES SETONUS

Philosophus Peripati defensor acerrimus, qui omnem fere vitam in Aristo-
telis libris legendis transegit, atque in ejusdem Metaphysicam lib. 12. Com-
mentariorum, qui nimis commendantur, scripsit; Oxoniensis Universitatis
dicitur à Morery in Lex. Hist. Cantabrigensis vero a Gesnero in Biblioth. qui
etiam eum *Erotemata Dialectices* scripsisse ait, Londini impressa 1545. atque
circa an. 1538. vixisse. Vide Pitt. de illust. Angl. Script. Leland. &c.

JACOBUS SKEKIUS

UT scribit sæpe laudatus Morery; sive Schegkius, ut vult Vander Lin-
den de Script. Medic. ubi de eo hæc subdit: Natus est Shorndorffii, Wit-
tembergico Oppido A. C. 1511. Patre Bernhardo Degem, vulgò dicto Scheg-
kio, viro plebejo quidem, sed honesto. Anno 1529. Tubingæ Magister Philoso-
phiæ creatus, & paulo post eadem in Academia Professor publicus constitutus
est. Biennio post, nempe 1531. Theologiæ quoque operam dare cæpit; & post il-
lud demum tempus Medicinæ studia amplexus, Medicinæ Doctor 1539. renuncia-
tus est. Abinde Medicinam quidem docuit, sed nunquam publice exercuit; ab
amicis vero consultus, saluberrima consilia præscripsit; idque ob imbecillitatem
oculorum nativam. Anno enim 1577. visu penitus privatus, per integrum de-
cennium studia majori alacritate prosecutus est, & pleròq; Tractatus suos demum
edidit; intra quod temporis spatium cum quidam Ophthalmicus se ei visum re-
stituere vellet, respondisse fertur, se multa in vita vidisse, quæ maluisset non
videre, optareque se etiam ad nonnulla surdum fuisse. Anno 1586. percussus
Apoplexia, per totum nihilominus annum studia solita tractavit, donec obiit
9. Maii 1587. æt. suæ 76.

Scripta ejus Philosophica sunt: *Dialogus de Animæ principatu*; in quo
Aristotelis, & Galeni rationes profert, quibus ille cordi, hic cerebro princi-
patum attribuit. *Tractationes Physicæ, & Medicæ. Commentaria in Aristotelis
Physica, & Ethica, Organum, Topica. De una persona, & duabus naturis
in Christo adversus Anti-Trinitarios.* Ejus opera Medica vide apud cit. Vander
Linden. Melchior Adam, &c.

Sed antequam huic capiti colophonem imponamus, notanda quædam hæc sunt ex Joh. Francisco Buddeo in Hist. Phil. succincta delineatione, ubi pag. 70. LUTHERUM Scholasticis Nominalibus adscribit, ajens de ipsis: *Consensere Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel, & plerique Ordinis Augustinianorum; unde & Lutherus, imo & alii ex religionis, & bonarum Artium restauratoribus (verius, aptiusque dixisset, perturbatoribus) eandem sententiam secuti sunt.* Et pag. 75. Peripateticis non Scholasticis, sed puris accenset sequentes, ubi ait: *In Aristotelem licet non æquior esset in Germania Martinus Lutherus, quam in Scholasticos: PHILIPPUS tamen MELANCTHON pro Aristotele stetit; ejusque Philosophiam humanioribus quodammodo literis conspersam, & temperatam, facili, ac perspicua methodo tradidit: nec tamen Aristoteli ita adhæsit, ut non subinde ab eo discederet. Hanc philosophandi rationem, Italorum exemplo, secuti sunt quidam, qui contra Scholasticos certantes, Aristotelis textum purum, & incorruptum reducere conati sunt. Ex his fuerunt Cornelius Martini, Phil. Scherbius, Michaël Piccartus, Ernestus Sonerus, Christoph. Drejerus, Melchior Zeidlerus, Job. Zeisoldus, Hermannus Conringius, Job. à Felden, aliique.*

Illud tamen non præteream, quod habet ibidem cit. Buddeus pag. 76. ubi aliam Philosophiæ sectam memorat, quam vocat MOSAICAM, & CHRISTIANAM, sic ajens: *Quidam omnium gentilium Philosophis rejectis, Philosophiam veram ex Scriptura Sacra, cum primis libris Mosaicis, petendam esse, assererant. Quam Philosophiam Mosaicam, & Christianam dixerunt: quam professi sunt Libertus Fromondus, Caspar Mauritius, Ludovicus de Beaufort, Job. Crellius, Conradus Astachus, Job. Amos Comenius, Job. Bayerus, Lambertus Danæus, Thomas Burnetus, Detblerus Cluverus, Edmundus Dickinsonus. Verum cum plerique istorum aut jam alterius Philosophiæ placitis imbuti sint, aut proprias hypotheses secum adferant, & iisdem Scripturam Sacram, & Historiam Mosis accommodent, non magnopere inter se dissentiunt.* Et pag. 77. Sectam refert Cabbalisticam, de qua sic: *Ab his distinguendi sunt, qui Cabbalistica Judæorum arcana rimati sunt; quorum quidam ea cum Platonis, alii cum Pythagoræ placitis conjunxerunt. Ex primis fuere uterque Picus Mirandula; ex secundis Job. Reuchlinus, Henricus Morus, Franciscus Georgius Venetus, Henricus Cornelius Agrippa, aliique. Verum quoniam Cabbalisticæ omnes vel Chymici, vel Platonici, vel Pythagorici, vel aliis sectis addicti sunt: ideo de singulis in suis locis actum, vel agendum est. Quæ autem Cabbalæ scientia sit (quæ apud Judæos etiam ante Christum floruit, & à Pythagoræ, ac Platonis doctrina derivasse videtur) videri possunt Reuchlinus, aliique cum ipso modo citati, Gaffarellus, Joh. Morinus, Richardus Simon, P. Kircherus Tom. 2. Edip. Ægyptiaci; Tractatus, quibus tituli: *De Cabbala, & Verbo Mirifico. Ars Cabbalistica. Urna Mannæ. Liber Jezira. Porta Lucis Pici Mirandulani, &c.**

De Aristotelicis autem puris hæc habet p. 75. *Plurimi tamen, rejecta Scholastica Philosophia, Aristotelem ipsum ducem, magistrumque elegerunt, magno studio in Scholas, & Academias eum reducentes. Tales ex Italis fuere Cæsar Cremoninus, Petrus Victorius, Antonius Montecatinus, Cyriacus Strozza, Alexander, & Franciscus Piccolominæi, Jacobus Zabarella. In horum nonnullis Atheismum Aristotelicum, maximamque sententiarum impietatem viri docti observarunt. Sed his Peripati reformatoribus (de quorum præcipuis jam supra egimus) accensendus maxime est Petrus Joh. Nunnescius Valentinus (alter tamen à Petro Nunnez, sive Nonnio Lusitano, de quo supra) quem refert, & laudat Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 36. n. 1. his verbis: *Apud Barcinonenses floruit PETRUS JOH. NUNNESIUS, Valentinus, qui præter summam elo-**

quem-

quentiæ laudem, propter quam, teste Miræo lib. de Script. sec. 16. cap. 133. stipendio magno à Barcinonensibus accersitus, etiam in rebus Philosophicis nomen, famamque adeptus est. In primis autem Peripateticam illustravit historiam, habita primo De causis obscuritatis Aristotelis, earumque remediis, non ineleganti Oratione, in qua non solum laudes Philosophi, sed ejus etiam defectus, & errores exposuit, ita tamen, ut facilitior, & indulgentior fuerit cæteris omnibus, qui Aristotelem reprehendunt. Vitam deinde Aristotelis ab Ammonio, sive Job. Philopono descriptam, erudito Commentario instruxit, in quo de moribus hujus Philosophi, de ratione philosophandi, de scriptis item, auditoribus, & successoribus egit; cui adjuncta quoque est ejusdem Philosophiæ Peripateticæ Institutio, sive de reâ, atque utili ratione conficiendi curriculi Philosophiæ Peripateticæ Tractatus. Quæ omnia cum modo allegata Oratione, curante Holstenio, Lugd. Batav. recusa sunt 1621. . . . Ad hæc Procli Crestomathiam Poeticam non indoctis exornavit scholiis. Lucis autem plurimum adferre potuisset Historiæ suo De Claris Peripateticis libello, quem scripsisse fatetur ipse suis in scholiis ad dictam Aristotelis vitam pag. 153. Sed is nunquam comparuit. Obiit octogenarius prope 4. Id. Martii an. 1600.

Et de Peripateticis universis hæc dicta sufficiant. Fateor quidem, me non plures, sed plurimos præterisse, eorum præcipue, qui Monasticum aliquod vitæ institutum professi sunt: sed neminem profectò consultò præteritum ingenue affirmo, eorum saltem, qui majoris famæ apud suos fuere. *Quis tamen innumeros numeret?* Satis sit dixisse, Franciscanos omnes Scotum, Dominicanos D. Thomam sequi; reliquos vero singulorum Ordinum alios Scotistas, alios Thomistas, Nominales alios, præcipue Augustinianos, Jesuitas denique Neutrales esse, ut supra etiam diximus. Ab his autem omnibus Scholasticis tot edita sunt librorum milliaria, ut vel recensere solum *admirari* prorsus esse videatur.

C A P U T VII.

Antischolastici, & Antiperipatetici.

HUjus capitis exordium instituat modò laudatus Buddeus, qui pag. 74. cit. operis sic ait: *Renascentibus bonis literis, longe alia cœpit esse Philosophiæ facies, viris doctis certatim Scholasticæ Philosophiæ jugum excutientibus; qui tamen non unam, eandemque omnes ingressi sunt viam. Quidam enim novos, & barbariem saltem Scholasticæ Philosophiæ perstrinxerunt, & de alia Philosophia susstituenda in ejus locum non fuere solliciti: alii unam ex veteribus sectis restaurandam sibi sumserunt: alii novam prorsus Philosophiam condiderunt. Ad primam classem referri possunt, qui in humanioribus literis resuscitandis operam, studiumque collocarunt. Licet enim haud pauci illorum certæ sectæ dederint nomen suum, in eo tamen consenserunt, idque egerunt magno conatu, ut Scholasticorum barbariem profligarent. Sed præ cæteris tamen suo velut jure huc referendi sunt Job-Ludovicus Vives, Laurentius Valla, Marius Nizolius, Adrianus Cardinalis, atque alii.*

Notandum tamen hîc velim, me haud hîc loci de iis omnibus, qui in Aristotelem invecti sunt, sermonem instituere; sed tantum de illis, qui neque novarum sectarum conditores sunt, ut Cartesius, Gassendus, &c. neque aliis sectis ex instituto addicti sunt, quorum numerus pene innumerus est: de horum enim singulis actum, vel agendum in locis propriis. Eos igitur huc solum refe-

referam, qui celebre, ac peculiare aliquod Systema in Philosophia non condidere, neque aliis sectis nomen dedere suum; sed tamen Aristotelis doctrinam ad trutinam revocare propria mens fuit, & institutum; ut modò dicti à Buddeo, & his similes; quorum alii tantum contra Scholasticos, alii contra Peripateticos quoscumque steterunt.

Sed quis te melius Antischolasticorum agmen ducet, doctissime Buddee, qui te Eclecticum professus, loco cit. pag. 70. ita Scholasticos non perstringis solum, sed conteris? Sic ibi: *In dogmatibus Scholasticorum hoc maxime observandum, quod circa inutilia, futilia, merasque λογισμαχίας fuerint occupati. Logicæ, & Metaphysicæ maximum statuerunt pretium. Hinc de Prædicamentis, Prædicabilibusque ad nauseam usque disputant; quemadmodum & de principio individuationis, de radice futuritionis, de suppositalitate, & personalitate, & hujusmodi infinitis nugis valde fuere solliciti. Sic & Physicam fere totam in Metaphysicam converterunt, sit ne Physica ars, an scientia? detur ne motus ad substantiam? sit ne generatio motus, nec ne? acriter disputantes. In cæteris Aristotelem secuti sunt, aut sequi voluerunt. Ex Peripateticis tamen nonnullos laudat, tanquam arcanorum naturæ peritiores, quam seculi, quo vixerunt, genius permittere videbatur; inter quos præcipue Rogerium Baconem, & Albertum Magnum memorat.*

De magno hoc Philosophiæ præceptore, & polygrapho, ejusque scriptis, tale est Jonfii, ejusdem discipuli, judicium de Script. Hist. Philos. lib. 3. c. 36. *Proximus hic est Job-Franciscus Buddeus, celeberrimus primum Moraliū, & Politicæ in eadem Fridericana Professor, post Theologus Doctor, & Professor longe meritissimus in illustri Salana, præceptor noster venerandus. Tot egregios libros dedit, quibus Hist. Philosophicam adauxit, ut iis carere nemo possit, cui solidiora Philosophiæ studia curæ cordique sunt. Ejus Introductio ad Hist. Philosophiæ Hebræorum, Halæ edita 1702. 8. Historiam, atque scriptores Philosophiæ Hebræorum, Mosaicæ scilicet, Cabbalisticæ, & Rabbiniæ omnium optime tradidit. Sic & ejus Historiæ Philosophicæ succinctæ delineatio, quam Elementorum Philosophiæ Eclecticæ Tomo 1. præmisit, fata Philosophiæ, & Philosophorum placita breviter quidem, sed eruditissime delineavit; ita, ut nihil magis optemus, quam ut ejus Commentationes de singulis Philosophorum sectis, quarum spem fecit, ad communem utilitatem pervenire potuissent. Fata studii Logicæ exposita stant in fronte editionis novæ libri Artis Cogitandi, qui Halæ recusis prodit. His addimus Historicam de Peregrinationibus Pythagoræ Dissertationem, habitam quondam Jenæ 1692. quam postea Analectis Historiæ Philosophicæ, Halæ editis an. 1706. 8. præfixit. In hac non tantum itinera Philosophi hujus in Phœniciam, Ægyptum, & Babyloniam suscepta, sed ejus etiam patriam, præceptores, & alia memorabilia exposuit; eaque occasione multa contra Marshamum, Vossium, & Huetium disputavit. Dialogus ejus de moribus Philosophorum multa eruditione refertus, prodit ibidem 1695. 12. Præterea Morali Philosophiæ imprimis illustravit Historiam. Horsum faciunt ejus De præcipuis Stoicorum in Morali erroribus Academicæ Dissertationes quatuor, annis habitæ 1695. & 1696. Quæ junctim deinde sub eodem titulo prodierunt ibidem 1696. 8. Moralem Græciæ Sapientum Historiam Dissertationes tradunt eæ, quæ complectuntur Ethicam Thaletis Milesti, Ethicam Pittaci Mitylenæi, Ethicam Biantis Prienæi, Ethicam Solonis Salamini, Legum Solonis, & Mosaicarum collationem, Ethicam Cleobuli Lindii, Ethicam Periandri Corinthii, Ethicam Chilonis Lacedæmonii. Harum junctim uno volumine editarum titulus est: Sapientia Veterum, hoc est, dicta illustriora septem Græciæ Sapientum Dissertationibus aliquot Academicis explicata, una cum program-*

grammate de vero, & genuino Philosophiæ Moralis apud Christianos usu; quæ liber lucem adspexit an. 1699. 8. Ejus Historia Juris Naturæ, una cum Synopsi Juris Naturæ, & Gentium juxta disciplinam Hebræorum continetur in Phil. Reinhardi Vitriarii Institutionibus J. N. & G. Halæ recusus 1694. 8. Nec præmittendæ Observationes selectæ Halenses, ad rem literariam spectantes (confer de his Illustr. Struvium in Introd. p. 275.) quas una cum viris longe celeberrimis, Christiano Thomasio, Georg. Ernesto Stablio, aliisque tum in Academia Fridericiana, tum alibi degentibus, inchoaverat an. 1700. His varia item inseruit, quibus nos adjuvit. In his inter alia Observatio exhibet decima Apologiam pro Pythagora contra Episcopum Worcesteriensem - - - Hæc præcipua Viri scripta, quæ ad scopum nostrum pertinent. Plura recenset integer ejus scriptorum catalogus, jam secunda vice publicatus Jenæ 1714. 8.

Ibidem ab eruditissimo Jonfio laudatos habes doctissimos, ac de rebus Philosophicis optime meritos, D. Burckhard Gottbelff Struvium, Saxonum Ducibus à Consiliis, & historicis rebus, Juris, & Historiarum Professore, ac ejusdem Jonfii præceptorem, qui præter alia multa scripsit Bibliothecam Philosophicam, editam Jenæ 1704. 8. in qua de recentioris ævi Philosophorum libris cum additis de quibuslibet judiciis egit; quam deinde auxit Joh. Henricus Ackerus. Job. Jacobum Mullerum, qui Dissertationem de virtutibus, ac vitiis Philosophorum Orientalium concinnavit, Jenæ 1709. 4. Job. Jacobum Symbium Philosophiæ Professore, qui Philosophiæ suæ Pythagoræ Dissertationem præmisit, cui titulus: Pythagoras intra Sindonem noscendus. M. Job. Gottlieb Olearium, Job. Gottfr. Olearii, Arnstadiensis, filium, qui Dissertationem habuit De Petri Pomponatii Vita; Cujus celebriores discipulos enumerat, præcipue Julium Casparum Sebastianum, Vaninum etiam appellatum, de quo duas habet Dissertationes, unam De Vita & fati Vanini, alteram De Scriptis, & Opinionibus ejusdem; de quo etiam argumento scripsit Job. Mauritius Schrammius. Doctissimum Philosophiæ Professore Jenensem M. Gottlieb Stollium, in Historia Philosophica versatissimum, qui eruditum opus confecit, cui titulus: Historia Philosophiæ Moralis Gentilium, Germanico idiomate scriptum; & Dissertationem An Homerus fuerit Philosophus Moralis? Valentinum denique Velthemium, Theologum Jenensem (qui etsi Scholasticorum patronum egit Oratione de Scholasticorum laudibus habita contra Pufendorffium, quia Jenensis, inter Antiperipateticos Jenenses collocare fas esto) qui mortem obiit an. 1700. Atque alios, quos singulatim, & fuse tractavit Caspar Zeumerus in Vitis, & Scriptis Philosophorum Jenensium.

In celeberrima Lipsiensi Academia præ cæteris clari habentur Gottfrid. Olearius (quem supra in lib. 3. sæpe memoravimus) D. Theologus, & Professor, & Jonfii etiam præceptor, qui plures edidit Philosophicas Dissertationes, De Philosophis exosis. Ad Leonis Allatii Dialogum de scriptis Socratis. De Dæmonio Socratis. De Heracliti Philosophia. De ejusdem rerum naturalium Genesi. De Philosophia Ecclētica, &c. Quarum quædam apud Stanlejum sunt. Gottlieb Fridericus Jenichenius, qui in sua Historia Spinozismi Spinozæ vitam, doctrinam, & scripta delineavit. Christophorus Schraderus, qui de Fastu Philosophico virtutis colore infucato in imagine Diogenis Cynici scripsit. Sed omnium maxime inter eruditos, ac Philosophos, Lipsiensi Academiæ decus, & Præses memorandus doctissimus Polyhistor Job. Burckardus Menckenius, de re literaria optime meritus, Poloniarum Regi à Consiliis, & Historicis rebus, &c. qui præter alia libellum dedit De Charlatanaria Eruditorum, eruditis omnibus gratissimum.

In insigni Wittebergenſi Academia floruit *Conradus Samuel Schurtzſchius* mortuus an. 1708. qui *Diatribam de Druidis* dedit, in qua de eorum Philosophia, moribus, & institutis egit: quam materiam pertractavit etiam *Job. Fridericus Schopſius*. Wittebergæ habita quoque fuit *Differtatio de Philoſophia Homeri*.

In Academia illuſtri Altorfinorum illuxerunt clariffimus *Daniel Omeiffus*, qui *Ethicam Platoniam cum ejus Vita* evulgavit 1696. 8. *Ethicam etiam Pythagoricam, cum commentario in Aurea Carmina: De Symbolis item Pythagoricis* ib. 1693. 8. *De Stoicorum Philoſophia Morali, &c.* Magnus quoque, ac celebris ibi Mathematicus floruit *Job. Chriſtoph. Sturmſius*; cui inter Cartefianos locus erit. Ibi etiam ſub præſidio Molleri habita fuit *Differtatio de Moſe Philoſopho*; in qua ipſe omni Ægyptiorum doctrina; Philoſophia, cunctiſque ſcientiis inſtructus oſtenditur.

In Academia Julia celebres inter alios numerantur *Erneſtus Salomon Cyprianus*, Philoſophiæ in ea Profeſſor doctiffimus, qui elegans opusculum *De Vita, & Philoſophia Thomæ Campanellæ* confecit: de quo, ubi de Campanella, redibit ſermo. *Job. Andreas Schmidius*, Abbas Mariavellentiſis, qui eruditis ſuis Differtationibus magnam ſibi inter Juliæ Academiæ Profeſſores famam ſec. 17. comparavit, veterum quorundam Philoſophorum doctrinam illuſtrando. Ex his una eſt *De Anaxagora, & ejus Phyſiologia*, habita 1668. in qua Anaxagoræ Vitam, & Dogmata clariuſ, quam Laërtius expoſuit. Quod item fecit de Anaximene in ea, quam *De Anaximenis Vita, & Phyſiologia* inſcripſit. *De Seneca, ejusque Theologia* aliam; aliam denique *De Theologia Hippocratis* Differtationem habuit, qua probavit, Hippocratem, Medicorum Principem Naturalis Theologiæ, omnis Philoſophiæ partis, Matheſeosque inſtructum fuiſſe. *D. Job. Georgius Niemejerus* Differtationem ibi habuit 1703. 4. *De Ariſtotele, ejusque Philoſophia*.

In Academia Kilonii florentiffima celebratur *Georgius Paſchius*, mortuus 1707. autor libri maxime commendabilis, cui titulus: *De variis modis tractandi Moralia*; Kilonii 1707. 4. in quo veterum omnium Philoſophorum Ethicam tradit, examinat, dijudicat. Librum etiam condidit *De Inventis novis*.

Inter Tubingentes Academicos clarus eſt *Andreas Adamus Hochſtetterus*, autor *Hiſtoriæ Philoſophiæ Præctiæ*. Quod & alii fecerunt. Sic quoque *Henr. Julius Scheurlius Breve Compendium Hiſtoriæ Moraliſ* dedit; in quo aliorum tum Ethnicorum Chriſtianorum Moralium virorum, librorumque moralium meminit præcipuorum; quæ & *Gabr. Naudæus* in ſimili libello fecerat *de Politicis*.

In Regia Argentoratentiſi *De Philoſophia Celtica Exercitationem* edidit *Ulricus Obrechtus*, Prætor Regius, qui obiit 1701. & *Differtationem de vera Philoſophiæ Origine*. *Job. Schilterus De Diſciplina Pythagorica Diatribam* dedit; quæ ejuſdem *Manuductioni Philoſophiæ Moraliſ ad Jurisprudentiam* ſub finem juncta eſt. In quo argumento huic præfertur, quæ à Scheffero edita eſt.

In Hamburgentiſi maxime celebratur magnus, ac plane incomparabilis Polyhiſtor *Job. Albertus Fabricius*, Lipſiæ natus, ibidemque D. Theologus, & Profeſſor inſignis, ac omni majori laude digniffimus; qui, dum adhuc apud Lipſienſes degeret, hæc, præter alia multa, Philoſophici argumenti concinnavit: *De Platonismo Philonis Judei Exercitatio. Liber de Vita, & Virtutibus Procli Theoreticis, & Theurgicis. Differtatio de Brachmanibus. Bibliotheca Græca*, opus vere aureum, quod multis Tomis comprehenditur, &c.

Christophorus Wolfius, Lingu. O. O. in eodem Gymnasio Professor, *Historiæ Philosophicæ antiquæ Compendium*, lectu dignum evulgavit Hamburgi 1706. 8. *Joh. Fridericus Mayerus* *Dissertationem: An Pythagoras Judæus fuerit, Monachusve Carmelita?* Hamburgi 1700. 4. de qua re vide Act. Erudit. Lips. ad an. 1696. & Joh. Cler. Bibl. Choisiet. 10. *Gottofr. Arnoldus* Librum Ethico-Politicum pervetustum dedit (qui aliàs etiam *Kelile Wadimne* dicebatur) sub titulo: *Specimen Sapientiæ Indorum veterum* Gr. Lat. cujus autor *Utus Isamus*, Rex Indorum dicitur.

Atque hæc de celebrioribus Germaniæ Academiis, & Academicis, qui Philosophis accenseri merentur, breviter dixisse sufficiat, occasione ducta, à laudato Budæo, qui Germanos alios enumerandi mihi ansam præbuit. Non enim hic de universi Orbis Academiis agere animus fuit, quod immensum esset (de quo forsan deinceps, *συντὸν Θεῶν*, verba faciam) sed pauca tantum Germaniæ Scholis, & Professoribus fama clarioribus, quorum major pars, ne dicam omnes, Antischolasticorum, atque Antiperipateticorum est, ex *Jonsio* excerpta adnotare. Sed ad rem.

JOH. LUDOVICUS VIVES:

Genere Hispanus, patria Valentinus, omnium sui ævi eruditissimus; eruditorum omnium *κρίτικώτατος*, sec. 16. floruit. Parisiis Philosophiæ curriculum peregit: inde Lovanium venit, ubi humaniores literas magna sui nominis fama publice diu professus est. Postea in Angliam secedens, Latinas literas Mariam Reginam, Henrici VIII. uxorem, docuit. Cum autem eidem Henrico de non repudianda uxore liberos suos sensus aperuisset; ejus jussu carceres ad sex menses pertulit: quibus egressus, Bravum, Archiepiscopalem Hispaniæ urbem Castellæ veteris regiam, vulgò Burgos, venit, ubi uxorem duxit. Inde tandem Brugas, Belgii urbem in Flandria, reversus, ibi ultimum diem obiit in Orthodoxa Fide, ut ajunt suspectus, circa an. 1536. Verùm alii pro comperto, & indubitato habent, ipsum Catholicum obiisse, atque asserunt, hanc non esse nisi vanam Protestantium jactantiam, quod ex eorum numero fuerit.

Scholasticorum hostis fuit acerrimus (qui omnium sui ævi eruditorum, Scholasticam barbariem detestantium, mos fuit) ut videri potest in præclaris, & æterna memoria dignis, suis Operibus, ex quibus plures sententias pro occasione retulimus, præcipue supra cap. præcedenti, ubi autorum de Scholasticis censuram adnotavimus. Scripsit igitur de Disciplinis lib. 12. quorum 7. sunt De Corruptis Artibus; 5. verò De Tradendis Disciplinis: quos omnes ipsi in Philosophos concinnavit; in ipsis enim Scholasticos mirum in modum perstringere conatus est. Nullo enim modo, ut ait *Jonsius*, ferre poterat, ut renata sapientiæ studia à Scholasticis iterum opprimerentur. *De Initiis, Sectis, & Laudibus Philosophorum* egit in libro, qui Tomo 3. suorum operum plerumque habetur. Scripsit etiam eruditissimos, & omni omnium laude dignissimos *Commentarios in Augustini libros de Civitate Dei*; atque alia, quæ omnia 2. Tomis in f. prodierunt Basileæ 1560. Præterea *Erasmum* in *Seneca* emendando, & *Adagiis* colligendis adjuvit, ut in *Bibl. Hisp.* notatur: ubi tres viros ejusdem ævi celeberrimos ad Remp. literariam optime constituendam sic notatos vides, ut *Budæo* ingenium, *Erasmio* dicendi copia, *Vivi* judicium tribuatur. Et quidem Criticus fuit omnium suæ ætatis rigidissimus, & sapientissimus; quidquid contra obstrepat *Ger. Joh. Vossius*, ajens: *In re Critica sæpissime lapsus est Joh. Lud. Vives.*

Sanior, atque æquior videtur de magno hoc Critico crisis, quæ in *Scaligerana*

rana 1. est: *Vives fallitur, dum in libello quodam Lucanum Virgilio præfert; sed librum de Anima composuit, Patri meo Julio Scaligero valde laudatum. Et in Scaligerana 2. Vives de Gellio malo animo judicavit, sed tamen bene; de Diodoro Siculo idem male judicavit. Vives fuit doctus: quæ scripsit in Augustinum sunt optima, si spectemus illud sæculum; sed si nostrum, nihil est: fuerunt aliqui Lusitani docti, pauci Hispani. Cæterum pleno ore laudatur à Boissard. in Icon: ab eodem Vossio in epist. præfix. Arti Grammat. ubi: Ludovicus Vives vir ut variæ doctrinæ, ita sapientiæ prope incomparabilis. Erasmi. epist. 19. 101. & in Ciceroniano p. 185. Georg. Morhof. Polyhist. p. 333. Sixt. Senens. qui asserit, ipsum summam eloquentiam cum absolutissima eruditione, & Christianissima pietate conjunxisse Neandr. part. 1. Geograph. Quenstedt, qui eum vocat *Rarum Valentia decus, propterea quod & Declamator egregius, & Philosophus magni nominis, & multis rebus eminentissimus est habitus.* Gul. Crovv. Elench. Scriptorum in Sac. Script. Isaac. Bullart. Acad. Scient. Gall. Jons. atque aliis plurimis, quos mens non est hic omnes congerere.*

LAURENTIUS VALLA

Patricius Romanus, & Canonicus S. Job. Laterani, Grammaticus, Rhetor, & Philosophus clarissimus, Theologiæ Doctus, Græcæ, ac Latinae Linguae peritissimus. Inimicissimus fuit Poggio, qui in Oppido Florentiæ ditionis natus, Romæ summa in autoritate vivebat in Aula Pontificia literarum Apostolicarum scriptor, vir quidem facetus, & dictis clarus, pauloque amarior, quam par fuit. Is in Vallam multa scripsit acerbiori stylo, cui & Valla respondit non leniori scripto. Boissard in Icon; ubi etiam, & in Gesn. Bibl. enumerata vides omnia ejus Opera, quæ uno volumine contenta prodierunt: & quorum major pars ad Latini sermonis puritatem, & elegantiam (quod magnum, ac præcipuum sui operis institutum fuit) vel rem Sacram, Historiam, & eruditionem, pertinet. Unde non immerito Erasmus lib. 7. Epist. 3. *Quis Vallam non & magnifice laudet, & amet quam maxime, qui tanta industria, tanto studio, tantis sudoribus, Barbarorum ineptias refellit, literas pene sepultas ab interitu vindicavit, prisco eloquentiæ splendori reddidit Italiam: doctis etiam id præstitit, ut posthac circumspectius loqui cogantur.* Verùm ex omnibus suis laude dignis operibus, quæ ad nostram Philosophiæ materiem spectare videntur, sunt *De Dialectica lib. 3.* in quibus Aristotelem, & Peripateticos omnes acerrime insectatur Hinc de eo Jons. de Script. Hist. Philos. lib. 3. c. 21. *Nec prætermittendus Laurentius Valla, sive Vallensis, patricius Romanus, Grammaticus, Rhetor, Philosophus, & Theologus, qui primus circa id temporis Stagiritæ se opponebat, editis hunc in finem Dialecticis suis Institutionibus a 1440. Nam cum bonis literis Philosophia quoque renascebatur, doctis nonnullis & sapientibus viris Scholasticam istam barbariem, tanquam bonarum mentium pestem, è liminibus Scholarum expellendi, consilium ineuntibus, &c. De Vallæ Philosophia hoc etiam Ludov. Viv. judicium est, de Caus. corrupt. Art. lib. 3. in fine: *Laurentius Valla aggressus est reconcinnationem facere Dialecticæ, in qua dissentit ab Aristotele, & Peripateticis veteribus, & novis. Monet in quibusdam neutiquam prave, etsi ea sunt per pauca; in plerisque labitur, ut fuit vir ille vehemens, & ad faciendum judicium præcipitatus. Nec solum in re Dialectica falsus est, sed in Philosophia, nam hanc quoque attingit, &, quod magis mirere, in præceptis Latinae linguae. Sed non minus illic improbando aberravit, quam in elegantis, & in-vektivis. Cæterum Dialecticæ illius errores, qui sunt sane multi, nos vel omitteremus prorsum, vel in aliud tempus, si videbitur, reservabimus: nam suscipe-**

re cum eo disputationem, res esset nimium prolixa, minimeque in præsens necessaria, quod illius argumenta nec magnis rationibus nituntur, nec proinde sunt ab ullo recepta, tanquam dogmata artis hujus. Hæc de Critico Criticus. Ad Philosophicos libros referri etiam possunt ejus *Lib. 3. De Voluptate, & vero Bono.*

Sed ad Vallæ vitam redeamus. Ex nimia suæ linguæ, & calami in Romanam Curiam, & Religionem loquendi, scribendique libertate, Romam discedere cōactus, Neapolim se recepit, ubi nec etiam Poggii, aliorumque notiturosum persecutionem declinavit. Nam in æquum, ac rigidum S. Inquisitionis Tribunal impietatis reus delatus, quod non bene, & Catholice de Trinitate, Libero Arbitrio, ac Virginis puritate, sentiret; mortis ab eo damnatus, ignis pœnam Alphonsi Regis Neap. favore vix evitavit. Quare Romam reversus, ibi mortem obiit Kal. Aug. 1465. æt. 50. atque in Ecclesia S. Joh. Latheran. sepultus, ubi hoc ei Elogium in marmore insculptum legitur:

Laurens Valla jacet, Romanæ gloriæ linguæ:

Primus enim docuit qua decet arte loqui.

Magnus fuit, & acutus Romani sermonis censor, & contradicendi morbo, quo vehementer laborabat, mordax, & acer in omnes. Hinc non immerito, vel temere de eo dictum:

Carpis Majores, & te quoque, Valla, Minores.

Carperis, & carpis. Sic tua fata sinunt.

Ex Phil. Labbe in Thesaur. Epitaph. faceta hæc alia in Vallæ maledicentiam Epitaph. habentur:

Obe! ut Valla filet, Solitus qui parcere nulli.

Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.

Aliud.

Nunc postquam Manes defunctus Valla petivit,

Non audet Pluto verba Latina loqui.

Juppiter hunc Cæli dignatus parte fuisset,

Censorem linguæ, sed timet ipse suæ.

Vide etiam Vossium, Trithemium, Joh. Dallæum, Gul. Budæum, Huetium, Jovium, &c.

BERNARDINUS TELESII.

CUM nemo melius, vel exactius Telesii hujus Consentini, non minus literis, quam sanguine nobilis, vitam, & doctrinam descriperit Johanne Imperiali; quæ notantur hinc ex ipsius Musæo Historico exscribere jus esto. Sic igitur ibi Imperialis: *Neque verò involvenda silentio nobis est Bernardini Telesii Consentini memoria, qui prævalido mentis conatu Physica Peripateticorum Principis dogmata convellere ausus, summa ejus ætatis ingenia cunctis fere in Orbis gymnasiis concitavit. Is proavis genitus nobilitate, ac literarum nitore fulgentibus, puer adhuc Mediolanum ad Antonii patris raræ doctrinæ, ac integritatis contubernium profectus est: inde porro una cum ipso decimosextimo ætatis anno Romam secedens, in illud incidit tempus, quo Civitas Borbonii Ducis nequitia spoliata, execrabile Pontificis, ac rerum omnium spectaculum præbuit. Communi verò succumbens tunc fato Telesius à militibus captus, bimestre carceris incommodum pertulit, donec Bernardini Martiriani civis sui Principis Aureliani Borbonio nuper defuncto subrogati à secretis patrociniis est exemptus. Ab hoc infortunio Romanum exosus cælum, ad Patavinas se contulit Athenas, ubi sedulò Mathematicarum addictus studio, ac potissimum Opticæ, novæ, inex-*

cogi-

cogitata, imperscrutabilia prope quamplurima detexit; in Philosophiæ pariter indagine non acquiescens Aristotelis dissertationibus, inventorum suorum jacere cepit semina, quæ favorabili doctorum perflata calore, fructum subindè veritatis amatoribus haud insuavem pepererunt: longe siquidem planiori, ac munitiori via hic videbatur incedere, quam Sophistæ alii jam tum in Aristotelem debacchati, quorum coriphæus Petrus Ramus, cujus opera tetro adhuc oblivionis carcere obruta, suscepti incassum, ac temere facinoris pœnas luit. Cæterum Patavio Romam reversus, cum Ubaldino Bandinello, & Jobanne Casa Archiepiscopo Beneventano, doctissimis viris, obstricto necessitudinis vinculo magis, magisque ad inchoatæ perfectionem Philosophiæ utriusque vocibus est impulsus. Itaque Consentiam se referens, cum Diana Sersali nobilissima femina inito matrimonio, tres postmodum suscepit masculos, quorum tandem superstes unicus, defuncta matre, potuit grandior factus, Bernardino literarium quærenti ocium, onerosam domestici negotii molem subtrahere. Unde factum, ut is in Silentii luco se prope Coracem fluvium abdiderit, ubi celato Musarum silvas, nemoraque colentium, numine percitus, & amena simul viridantis, exultantisque naturæ illectus facie, bina De Rerum Naturalium Principiis volumina, aliasque rerum Physicarum tractatiunculas lucubravit, quæ singula mox edita, & anxio Neapolitanæ juventutis excepta studio, ipsum ad eam urbem accedere coegerunt, quò ad spectu suo hæsitantium plurimos juvenum erigeret, firmatos tueretur: abditosque rerum præstantissimarum sensus omnibus aperiret. Itaque ab eo die excita ibi fuit Academia, in qua singulari contentione, nominatim Telestiana Philosophia adversus Aristotelis placita propugnata, diu etiam vel autore demortuo floruit, licet deinde bellorum vicissitudinibus intermissa potius, quam eversa. Tandem Neapoli melancholico agitatus affectu, indeque Consentiam filii pietate transvectus, post annum, & semis ecstático quasi stupore præeditus migravit è vivis octogenarius, cum se antea Thomæ fratris Archiepiscopi Consentini sacris manibus ejusdem tumuli gremio jungere concupisset; ejus Sæcutores ex eo dicti Telestiani.

P E T R U S R A M U S

NAtione Gallus, patria Veromandus, natus est an. D. 1515. Interemptus hic vir fuit in laniena Parisiensi A. D. 1572. inque Sequanam conjectus à discipulis Carpentarii barbaro more, in gratiam, ut creditur, Præceptoris, imo, ut ajunt, ejus hortatu, viri in Platonica quidem, & Aristotelica Philosophia egregii; sed qui perpetuam Aristotelis insectationem in P. Ramo ferre minime potuisset: unde illud plusquam Vatinianum adversus eum odium exarsit. Voss. de Mathem. p. 67. Primis vitæ annis proprio manuum labore victum sibi comparabat factus ex necessitate servus, qui ex nobili nimis familia sanguinem sortitus fuerat. Ejus namque avus Leodium, Germaniæ in Belgio urbem, quæ sibi patria erat, belli causa relinquere coactus, Augustam Veromanduorum se recepit, ubi, ne fame periret, carbonarium egit. Hinc de P. Ramo in Scaligerana 1. Ramus ad annum usque 19. ne quidem primas notas didicerat, inserviebatque Dom. de la Brosse. Lutetiam deductus tantum famulus profecit, maximo discendi desiderio percitus, ut quamvis repugnante ingenio tardo, rudi, ac stupido; repugnante, quod majus est, institutione sera: labore, & diligentia in id literarum decus pervenit, quò pervenisse vix credibile sit, itaut anno trigesimo contra Aristotelem scripserit meliori stylo, quam posterioribus annis. Bonus Orator, qui facultatem dicendi sibi comparaverat. Ἀμείδιος plane, utpote qui aliud in disciplinis tradendis iter, novamque viam inquirere

voluit. Flumen verborum, guttula mentis, Religionis purioris, quam profitebatur, ergo mortuus est an. 1572. in Ianiensi Parisiensi. Tam vasti ingenii profundæ eruditionis, atque acutus Philosophiæ Professor fuisse dicitur ab Ant. Teissier in Elog. Erudit. Vir. Gall. ac tantæ apud omnes sui ævi eruditos estimationis, ut exteræ gentes omnes moverint lapidem ad præclarum hunc virum Galliæ surripiendum. Sic enim ibi scripsit: *Post Romuli Amasei obitum Bononia civitas mille ducatos annuos ei obtulit, ut illum in hujus locum pertraheret. Poloniæ Rex Cracoviam illum allicere conatus est. Johannes Hungariæ Rex petiit eum, ut Weissenburgicæ Academiæ regimen ei traderet. Omnia ejus opera rite conscripta sunt; sed observant eruditi, stylum priorum, quæ adversus Aristotelem elaboravit, cæteris ab ipso deinceps elucubratis multo præstantiorem fuisse. Accusatus fuit, quod è Tractatu Vivis de causis Corrupt. Art. omnia excerpserit argumenta, quibus Aristotelem impugnat.*

In nova sua Antiperipatetica Secta instituenda, quæ ab autore Ramistarum, sive Ramæorum nomen habuit, mirum quot acerrimos hostes, omnes nempe Peripati patronos, quot persecutiones, quot damna perpeffus sit, ad internecionem usque, ut diximus. De præcipuis ejus æmulis, ac nominis delatoribus, ita Boissardus in Icon. - - - - Acerrimos calumniatores expertus est Petrum Galandium, Antonium Goveanum, Joachimum Perionium, & Jacobum Carpentarium. Sed ante omnes infestissimos sensit Sorbonæ Doctores, qui communi omnium sententia in Ramum insurgentes, illum hæreseos in Philosophia accusarunt, quod in Aristotelem Philosophorum Principem ausus fuisset scribere. Effecerunt sua autoritate, ut Ramo sit interdictum in posterum docere, vel scribere in ullam Philosophiæ partem. Quod factum notat Mr. Bayle à Francisco I. Rege ex Theologorum decreto, quibus ipse Rami doctrinam examinandam tradiderat: ex quorum etiam sententia ejus libri in Regio Cameracensi Collegio combusti sunt. Postea tamen Henricus II., Cardinalis Lotharingiæ precibus, ipsum iterum accersivit, eique Regii Professoris munus contulit. De Rami oppositoribus ita Hornius Hist. Phil. lib. 6. c. 11. *Opposuerunt se plurimi, præsertim Lutetiæ Joachimus Perionius: Tubingæ Jac. Scheckius; è Theologis Beza, & Ursinus. Tria potissimum et objecta: ἀμεθοδία, ἀντιλογία, & ἁδολογία &c.* His Rami oppositoribus addit Jonsius Philippum Scherbium, Helvetum origine, Logices, & Metaphysices in Altdorfina Academia Professore, qui Apologiam pro Aristotele, & Euclide contra P. Ramum, & alios scripsit: Johannem Proschium, qui alteram ejusdem tituli Apologiam confecit; aliosque.

Ex Rami discipulis, vel sectatoribus fuere: Nicolaus Nancelius, ejus discipulus, qui magistri vitam erudite scripsit, quæ, notante doctissimo Bælio in suo Lex. tom. 2. voce Ramus, multa continet memoria digna. Quam Rami vitam etiam edidit alter Rami sectator Joh. Thom. Freigius, Jurisconsultus non indoctus, qui teste Morhofio II. 1. 12. 1. multum impendit operæ reformandis ad mentem Rami disciplinis. Hac Rami vita, in qua Freigius motus omnes, quos Ramæa Philosophia in Gallia concitavit, exposuit, tanquam elegantiori usus est doctissimus Bælius ad Rami Vitam in suo Lexico describendam. Sed Rami vitam antea ediderat Theophilus Bannosius. Casparus Pfaffradius, qui pro Ramo de studiis Ramæis, ac optimis institutionis ejus legibus egit. Verùm omnium, qui plurimi, strenuissimus Rami defensor fuit Andreas Kragius, de quo ita Jonf. de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 25. 4. *Sub id in Dania Regibus forte Friderico II. & Christiano IV. floruit Andr. Kragius, natus Ripis Cimbronum a. 1558. Philosophus, & Medicus Hafniensis non incelebris, qui P. Rami, & ejus Philosophiæ defensionem contra Georgii, & Lible-*

vi calumnias in Epitomen 8. librorum acroamaticam adpersas edidit, teste Alberto Bartholino de Scriptis Danorum, qui Kragii liber prodiit Basileæ 1582. 8. Rami sectatoribus accenset Jonsius Rennemannum, Joh. Cramerum, Halberstadiensem-Saxonem, Lipsiensem Physicæ Professore, qui circa an. 1579. Rami Philosophiam publice, & private Lipsiæ docuit, Gerhardum, & Arnoldum, Bottios fratres, qui librum edidere sub titulo: *Philosophia reformata, idest, Philosophiæ Aristotelicæ accurata examinatio, ac solida confutatio, &c.* Sed reliquis ejus sectatoribus prætermisissis, quædam de ejus doctrina, ac doctrinæ fati delibemus.

Et primo talem suam hanc Antiperipateticam sectam instituendi occasionem refert Hornius loc. cit. *Occasionem ei dederunt Pseudoperipatetici Sophistæ Parisiis, & alibi, Scholastica barbarie, & corruptissima Philosophia in media literarum luce delectati, nec non interpretes pravi, & rudes Aristotelis. Quorum furias non tolerans, primo in ipsos, mox in ipsum Aristotelem acriter invehctus est, & adversariorum calumniis divexatus, longius processit, novamque sectam de suo nomine, plurimos in Gallia, Anglia, Germania, naclus sectatores, condidit. In Italia, & Hispania obscurum vix, & penè ignotum nomen ejus est - - - Nam cum barbari Philosophi, quasi artes liberales nihil ad studium Sapientiæ facerent, eas spernerent; P. Ramus earum usum ad Philosophiam revocavit. Unde ejus Sectatores eam definiunt: Systema liberalium disciplinarum. Metaphysicam prorsus exterminant, & miro odio prosequuntur. Præceptorum paucitatem, & usum urgent, ut ob hanc causam à quibusdam Philosophissimi, qua voce Justinianus utitur, appellentur. His autem rationibus P. Ramus ad probandum, scripta, quæ sub Aristotelis nomine vulgò circumferuntur, Aristotelis non esse, usus est. I. quia in illis aureum illud eloquentiæ oratoriæ flamen, quod Aristoteli Cicero tribuit, ipse non deprehenderet. II. Ejus libros nemo aut legere, aut agnoscere poterat, à tineis, blattisque nimium exesos. Quibus Rami objectionibus occurrerunt Goveanus, Perionius, aliique, ut dictum. Plura de Philosophiæ Ramæ fati qui cupit, adeat Joh. Launojum in lib. de Varia Aristotelis fortuna.*

De Ramo, ejusque scriptis non una, sed varia auctorum censura est. Quidam summe commendant, inter quos Hornius loc. cit. ubi: *Succedit Secta altera celebris, quæ Romæa est. Hæc initium sumpsit non à Ramo, sed jam olim assensores habuit, & autores eos, qui relicta Peripatetica schola quidvis sibi statuendum putarunt. Quales superiore seculo fuere Laurentius Valla, & Ludovicus Vives. Nam quam multa ex Valla mutuatus sit Ramus, Jac. Carpentarius ipsi Ramo demonstravit. Addunt alii, ex Rodolpho Agricola magnam inventionis partem desumpsisse. Quæ ut negari omnino non possunt, certum tamen est, eos Ramo potius occasionem melius de rebus ipsis cogitandi, quam ipsas res dedisse. At cum de Ludovico Vive agitur, inquit Keckermannus, ista excusatio loci nihil habitura est: ibi enim generalia omnia, & pleraque particularia, quæ Ramus tanta cum pompa Philosophis Italis, Gallis, Germanis tanquam sua inventa proponit, totidem verbis reperias in Ludovici Vives Commentariis, quos de Causis corruptarum artium, & de Tradendis disciplinis multo ante, quam Rami quicquam in publicum appareret, divulgavit. P. autem Ramus homo dexterrimi ingenii, solidæ doctrinæ, & liberrimi judicii, cum quoquo modo ad famam, etiam per alienæ existimationis ruinam, sibi contendendum putaret; ex omnibus antiquis Aristotelem exagitandum, atque explodendum sibi sumpsit; adeoque ea, quæ ex Valla, & Vive hauserat, velut interpolata in lucem emisit. Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 23. 3. ipsum ita arguit: Eodem Rege, & sub Henrico II. & Carolo IX. Petrus Ramus eminebat, Re-*
gius

gius Mathematicum, & Eloquentiæ Professor Parisiensis, qui Aristotelem voce, & scriptis oppugnabat - - - In Institutionum Dialecticarum, seu Animadversionum suarum libris 20. Peripateticis objiciebat, nihil eos habere methodicum, multa contra ταυτολογικά, supervacanea, pleraque falsa . . . Verum non adeo multos P. Ramus invenit, qui constanter ipsi inhæserunt, quia solidis argumentis, & rationibus Aristotelem confutare non poterat. Gesnerus in Bibliotheca sic bene de Ramo sentit: Petrus Ramus Regius in celeberrima Parisiorum Academia Professor, plurimum elaboravit, ut artes ad rectam methodum, & usum expeditum revocaret, ideoque multa ab eo conscripta, publicataque sunt de singulis Philosophiæ partibus, è quibus sunt quæ sequuntur. Ubi exacte omnia omnis generis Rami Opera enumerat; inter quæ Philosophica sunt: Dialecticæ libri 2. Dialecticæ Francicæ libri 2. Scholarum Dialecticarum libri 20. De moribus veterum Gallorum, Lat. & Gallice: Scholarum Physicarum libri 8. in Acroamaticos Aristotelis libros: Scholarum Metaphysicarum libri 14. in Metaphysica Aristotelis: Adversaria de Platonis Philosophia generatim in Dialecticam, Physicam, Ethicam dirigenda: De affectionibus, & proprietatibus quibusdam singularibus, cum in homine, tum in animantibus quibusdam aliis &c. Thuanus ad an. 1572. Ramum laudat potissimum, quia rem literariam omni animi contentione juvit, & promovit, etiam suis opibus, instituta Mathematicæ Cathedra, cujus Professoři annum stipendium 500. librarum è facultatibus suis attribuit. Laudat etiam Beza, & Christianus Urstis &c.

Contra Ramum stant Franc. Bacon. in Impetu Philosophico, ubi: *Ne verò (fili) cum hanc contra Aristotelem sententiam fero, me cum rebelle ejus quodam neoterico Petro Ramo conspirasse augurere. Nullum mihi commercium cum hoc ignorantia latibulo, perniciosissima literarum tinea, compendiorum patre, qui cum methodi suæ, & compendii vinculis res torqueat, & premat, res quidem, si qua fuit, elabitur protinus, & exsilit; ipse vero aridas; & disertissimas nugæ stringit.* Rapin. Animadvers. in Logicam sect. 7. *Ramo non successit feliciter consilium à se initum Aristotelis auctoritatem subruendi, juxta Vallæ, & Vivis documenta. Idea enim, quam efformavit novæ Dialecticæ nihil habet rationi consonum præter id, quod ab Aristotelis Dialectica mutuatus est, quam cum reformare voluit, ipsam destruxit.* Scaligerana 2. *Ramus magnus vir fuit, sed magni nimis fit: ipsius Mathematica sola bona. Sed ipse non est autor.* Lips. Cent. 1. Miscell. ep. 89. *Juventus nostra à me hoc audiat: Nunquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus. Inter laudatores, & exprobatos Rami medii sunt Vossius de Philosoph. Sect. p. 88. & Verder. in Aut. Cens. Tandem de Ramo in Buddeus in Hist. Phil. succincta delineatione p. 77. Longe majori strepitu ab Aristotele secessit P. Ramus, qui ex eloquentia omnem Philosophiæ, præsertim Logices, usum metiens, ad id omnes labores suos comparatos voluit: unde quædam in Aristotelis Dialectica immutavit. Quod indigne ferentes Peripatetici Petrus Galandius, Antonius Goveanus, Cornelius Martini, Joachimus Perionius, & Jacobus Carpentarius, acriter in ipsum insurrexerunt. Hinc magno fervore in Gallia, & Germania inter Peripateticos, & Ramistas de nugis, & ineptiis decertatum est. In Rami partes concesserunt Philippi Melanchthoni sectatores. Quidam Melanchthonem cum Ramo (à quo non multum ille discrepabat) aut Ramum cum Aristotele concordare conati sunt. inter quos primas tenet Bartholomæus Kickermannus.*

THEODORUS ZWINGERUS

Natus Basileæ A. C. 1533. Patre Leonardo Cive Basil. angustæ fortunæ: in patria Academia primum Linguam Græcam, deinde Ethicam, & Politicam, tandemque demum Medicinam publice docuit, & exercuit. Obiit Basileæ A. C. 1588. ætatis suæ 54. relicto filio Jacobo, paternæ virtutis, & famæ heredæ. Vander Lind. de Script. Medic. Hic patriam, ne vili patris muneri operam daret, relinquens, Lugdunum secessit, ubi apud Typographum ad Typographicam artem addiscendam tres annos degit, literarum studio, quod ab arte vacabat, tempus impendens. Inde Parisios venit, ibique Philosophiam à P. Ramo didicit, cujus dignus extitit discipulus. Postea Patavium se contulit, ubi Medicinæ sex annis strenuam navavit operam. Denique Basileam rediit, in qua obiit præclarus Philos. & Medic. Professor.

Inter præclara ejus Opera, præter Medica multa, censentur *Theatrum Naturæ Humanae*, digestum in Volum. 20. in quibus Humanæ Historiæ Bibliotheca continetur. In his voluminibus innumera exempla bonorum, & malorum, quæ in hominem cadunt, magno studio, & labore à variis autoribus collecta, & optimo ordine, ut ait Gesnerus in Bibliotheca, disposita memorantur. Quod opus ejus socer Conradus Lycosthenes inchoaverat, & imperfectum Zwingero perficiendum reliquit moriens. Tantæ famæ hoc opus semper fuit, ut, ipso adhuc vivente, ter editum fuerit; & post ejus mortem exemplorum myriade auctum prodierit. *Physiologico-Medica. Tabulæ perpetuæ in Aristotelis libros de Moribus ad Nicomachum.* &c. Vide Thuan. in Hist. Melch. Adam. de Vit. Phil. & Med. German. &c.

CAPUT VIII.

Philosophi Eclectici.

Ordinis in hac Historiæ Philosophiæ Synopsi nobis consueti ratio postularet, ut primo de Epicureis, & Pyrrhoniis, deinde de Eclecticis ageremus; sed quia Pyrrhonii nulli, præter recensitos, sunt, & Epicurei, præter jam dictos, omnes ex nova Gassendi secta orti sunt, de quibus, quia nostro ævo quamproximi, ut ætatis ordo servetur, infra agemus; ideo hoc Cap. de Eclecticis, qui inter Philosophos ultimos lib. 3. numerati sunt, sermo instituendus est.

DE MONAX.

DE Démonaxte ita Lucianus, ejus vitæ scriptor tom. 2. p. 561. Erat itaque *Démonax* genere Cyprius, non ex obscuris ortus parentibus, quantum ad dignitatem, & possessionem civilem attinebat: cæterum his omnibus ille longe erat excelsior, atque superior: atque cum rebus pulcherrimis, atque præstantissimis se ipse dignum judicasset, ad Philosophiæ studium semet contulit, non per Jovem ab Agathobulo, & Demetrio, qui ante illum fuerant, neque ab Epicteto excitatus, sed cum illis conversabatur, præcipue verò cum Timocrate Heracleote, viro cumprimis sapiente, neque non eloquentia, & industria plurimum ornato. At *Démonax* nequaquam ab aliquo illorum, ut dixi, persuasus, sed peculiari, quo rapiebatur ad res præclaras impetu, & insito quodam ad

Philosophiam amore, statim à puero permotus, omnia humana bona in universum contempsit - - - Cæterum nequaquam illois, quod ajunt, pedibus; hoc est, à dicendi facultate alienus, ad Philosophiæ studia accessit, sed poëtarum lectionibus enutritus, multos tenebat memoria, dicendique artes non mediocri studio exercuerat. Ea vero, quæ in Philosophia tractari solent, haud modice, neque, ut est in proverbio, summo tantum digito attigerat, sed exacte comperta habebat. Corpus præterea exercuerat, & ad tolerantiam variis laboribus assuefecerat. Breviter, in hoc summo studio, & cura elaboravit, ne alicujus alterius egens esset. Quare postquam sensit se quoque ipse sibi amplius non sufficere, voluntaria morte à vita discessit, multo super hoc ipso Græcorum optimatibus sermone relicto. Sec. 1. floruit sub Antonino Pio, & M. Antonino & fere centenarius obiit, ut ex Luciano. Unde tamen hauserit Cozzandus, quod asserit de Magist. Antiqu. Phil. lib. 3. c. 4. Demonactem Epicteti fuisse auditorem, ac Stoicæ Philosophiæ cum præceptore sectatorem, non video; cum Luciano eidem cœvus illum Epicteti non discipulum, sed familiarem dixerit; & non Stoicum, sed Eclecticum aperte ostenderit his verbis immediate sequentibus: *Philosophiæ autem haudquaquam unam tantum speciem ab aliis sejunctam colebat, sed multis in idem commistis, non admodum aperte ferebat quæ potissimum illarum oblectaretur. Apparebat quidem Socrati se magis addixisse, tametsi habitu, & vitæ frugalitate Diogenem æmulari videretur, &c.* Quod item confirmat Morery in suo Lex. Magno Histor. Describit in ejus Vita Luciano genus, studia, eruditionem, & professionem Demonactis Philosophi; quæ idem privatim, & publicè fecerit, & ab aliis passus sit; nec non ejus virtutes, præcipue dolore, pœna, paupertate, vel alia quavis ærumna afflictos consolandi, lites inter discordes componendi, pacem in omnibus summa animi contentione tractandi, &c. Præterea *Ἀπολυμνηστικὰ*, seu dicta illius memorabilia, aut aliàs argutè, & falsè responsa; mortem denique ipsius, & sepulturam, & officia, quibus Athenienses, ac reliqui Græci ipsum magnifice profecuti sunt.

De ejus autem morte, & sepultura hæc notatu digna ex Luciano excribam: Cæterum cum jam non obscure persentisceret, se sibi amplius auxilio esse non posse, dicta ad præsentem, qua in certamine præcones uti solent, clausula:

Jam finis est pulcherrimorum munerum

Certaminum, non differendum esse amplius,

Tempus monet:

ac discedens ab omnibus, bilato vultu diem suum obiit, quali semper obviam venientibus conspectus est. Aliquanto ante verò quam moriebatur, interrogante quopiam: *De sepultura vero quid imperas? Ne vos hæc cura remordeat, inquit, sollicitos: etenim factot me sepeliet.* Respondente autem illo: *An non turpe foret, & nefarium, si tanti viri corpus volucris, & canibus dilaniandum objiceretur?* Atquæ nihil absurdum est, inquit, si mortuus quoque nonnullis animalibus utilitatem aliquam allaturus sim. Voluntaria tamen inedia periisse perhibetur. Scripta ejus nulla memorantur ab autoribus. Demonactis *Senarius*, citatur tantum apud Stobæum in Sermonem de Superbia.

ASCLEPIUS TRALLIANUS

Sic dictus à Tralle, Bithyniæ urbe in Asia minori, ubi natus est. Ammonii, discipulus fuit, ac seculi 2. scriptor à quibusdam dicitur, aliis verò recentior. Scripsit hic Commentarium in Nicomachi Arithmeticam. Exstant præterea MSS. in Bibliotheca Vaticana ejusdem Commentarii in sex libros
Meta-

Metaphysicorum Aristotelis; ut notat Gesnerus in Bibliotheca. Vossius de Math. c. 10. Alter ab hoc fuit Asclepius Trallianus, qui libros 5. Hist. Turcarum Græce scripsit, ut notat Gesnerus in Bibl.

Occasione Asclepii Tralliani verbum addam de ALEXANDRO TRALLIANO, Philosopho, & Medico sui ævi præclaro, qui in eadem urbe Tralle natus, Tralliani nomen sortitus est. Hunc sec. 4. Romæ claruisse quidam putant, alii 5. alii vero sec. 6. sub Justiniano M. Imp. quæ Morery sententia est. Vander Linden de Script. Med. affirmat, eum sub Arcadio, & Honorio claruisse, & Galeni æmulum semper extitisse. Ejus Scripta Medica omnia enumerat cit. Linden ib. Vide etiam Agathiam Hist. lib. 5. Justum in Chron. Med. Castellannum in Vit. Medic. & Vossium de Philos. c. 12.

S O P A T E R

Patria Apaminensis, sive Alexandrinus, Philosophus inter Eclecticis (nam Ædesii Eclectici Philosophi discipulus fuit) sui ævi eximius, ex eorum tamen numero, qui Platoni magis addicti erant. In dicendo, ac scribendo eloquentissimus habitus est, Constantini M. Imp. familiaris prius, deinde verò ex objecto religionis crimine, ejusdem Imp. jussu insons securi percussus obiit, ut ex Suida; qui ejus cædem injuste patratam asserit his verbis: Τὸν Σώπατρον Κωνσταντῖνον ἀνῆλθεν ἢ καλῶς ποιῶν· ὁ γὰρ χρηστὸς ἢκ' ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐξ ἀγάπης: Sopratrum Constantinus interemit non bene faciens: bonus enim non ex necessitate, sed ex amore. Cozzandus tamen de Magist. Antiq. Phil. lib. 1. c. 7. ex Eunapio in Ædesio, & Aloysio Lollino 3. Epist. ait, Sopratum Constantino Consiliarium fuisse, ac calumniam passum infontem peremptum esse: cædisque autorem facit Albanium Prætorii præfectum ex invidia, quod à Sopatro claritate, & honore superaretur; siquidem ad dexteram Imperatoris publice assessor confidebat. Suidas vero neque hanc cædis causam, neque Consilarii dignitatem habet; ait enim tantum: ἦν γὰρ αὐτῷ σωηθῆς πρότερον; Erat enim ipsi familiaris prius. Scripsit *Tractatum de Providentia: Historiarum Epitomas*, atque alia, ut ex Suida. Vide, præter Eunapium in Ædesio, & Suidam, etiam Sozomenum lib. 1. Hist. Eccles. c. 5.

J O H A N N E S S T O B Æ U S

GRæcus Autor, doctrina, & scriptis clarissimus, quorum mentionem supra in lib. 3. sæpe fecimus, secta fuit Eclecticis, nam Philosophorum nemini addictus, quæ in singulis optima putavit, amplexatus est, & collecta selegit. Ejus Opera omni commendatione digna partim edita sunt, partim inedita. Ex editis numerantur *Collectanea Sententiarum, & Apophthegmatum ex variis profanis autoribus Græcis per locos digesta. Eclogarum libri 2. De ineditis ita Gesn. in Bibl. Job. Stobæi Physica Græca non dum evulgata, exstant in Italia apud Rodolphum Vincentiæ Cardinalem hoc tempore. Sec. 4. vel 5. claruisse dicitur.*

S. H I E R O N Y M U S

ECclesiæ Doctor Maximus, Doctorum omnium disertissimus, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ, & Chaldaicæ linguæ peritissimus, Stridonensis à patria, in Dalmatia sita, dictus, natus est, ut refert Gul. Cave in Chartophyl. Eccles. circa annum 329. inclarescere cœpit ab an. 378. quo

Presbyter à Paulino Antiocheno ordinatus; eremi Bethlemetici incola factus an. 383. scripsit Catalogum 392. obiit Bethlemi 420. ætatis 91. ut ex cit. Gul. Cave. Verùm Morery in Lex. Magn. Hist. ait, errare eos, qui putant, Hieronymum ad an. usque 98. & 99. vixisse, cùm annum 80. non transcenderit. Romæ Grammaticam à Donato, Terentii, & Virgilio Scholiaste, didicit; ubi etiam Christi Fidem per Baptismum accepit. Inde in Galliam venit; ex qua cum Heliodoro in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, & Syriam profectus est; ubi in solitudine degens, varias ab Orthodoxis etiam persecutiones passus est. Cùm sacris à Paulino Antiocheno initiaretur, hoc Sacramentum sub iis conditionibus accipere decrevit Hieronymus, ut nec ulli Ecclesiæ addici, nec solitariam vitam relinquere cogeretur. Memoria dignum æterna illud est, quod nunquam Sanctum, ac terribilæ Eucharistiæ Sacramentum ob summam in ipsum reverentiam offerre voluit; Circa an. 381. Constantinopolim se contulit, ut S. Gregorium Nazianzenum, cujus magna tunc per Orbem fama, audiret. Deinde ad annum alterum Romam rediit, & Damasi Pontificis Max. à Secretis fuit: plures nobiles Romanas mulieres in Christiana pietate verbis, inde etiam per epistolas instituit. Quod de ejus Cardinalatu profertur, id sciolorum commentum est; eo enim temporis nulla adhuc Cardinalium dignitas, imo nec nomen erat. Post Damasi mortem, tum amore antiquæ solitudinis, tum ut obtrectatores suæ virtutis, ac omne peccandi periculum vitaret, primum Alexandriam perrexit ad Didymum audiendum, postea Bethlemeticum Monasterium se recepit, ubi reliquum vitæ tempus in cœlestium meditatione, asperrima corporis castigatione, ac sacrarum literarum studiis transegit. Totus in hæreticorum, Vigilantiæ potissimum, & Joviniani confutatione deditus videbatur. Sui nominis hostibus, quædam ei contra Fidei dogmata à se prolata objectantibus, Apologia ad id scripta fecit satis. Contra Pelagium primus scripsit; à quo concitatam acrem sustulit persecutionem. Cum Rufino, Origenistarum causa, literariam habuit contentionem; & cum Divo Augustino, à quo cæteroque magni æstimabatur, de sacris literis disputationem, quæ tamen Christianæ pietatis terminos non excessit. Imo & Augustinus ab Hieronymo circa Animarum originem oraculum expetivit.

Hieronymum inter Philosophos, & proprie inter Eclecticos non numerassent, nisi id autorum testimonia non comprobassent. Et quidem Sixtus Senensis Biblioth. Sanct. lib. 4. postquam Hieronymum in omni doctrinarum genere absolutissimum, sermonis splendore, & eloquentiæ viribus clarissimum, commendavit; subdit: *Sed & in Scholis Philosophorum nihil de Aristotelis, Platonis, & Zenonis, hoc est, de Peripateticis, Academicis, Stoicis, reliquit intactum, Quibus instructus apparatus, contulit se ad sacrarum literarum studia, usus in his Apollinari Laodicensi, Didymo Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno præceptoribus, &c.* Et Heinsius Orat. 3. pro Biblioth. mun. Grat. act. *Quonam modo tot linguarum simul, & totius pene antiquitatis, ac Philosophiæ admirabilem peritiam, &c.* Ex his igitur, aliisque autorum testimoniis, aperte educitur, ipsum non uni, sed omnibus Philosophorum sectis, Eclecticorum more, addictum fuisse. Quod confirmatur ex eo potissimum, quod in suis scriptis modò Peripateticam, modò Stoicam, modò aliam Philosophorum sectam commendet. Sic in cap. 40. Isaiaæ Stoicorum doctrinam laudans, ait: *Hi nostro dogmati in plerisque concordant, nihil appellant bonum, nisi solam honestatem, nihil malum, nisi turpitudinem.* Et in cap. 3. Jonæ Aristotelem extollens, ait, quosdam honoris causa numismata ænea signasse cum ejus imagine, quorum in adversa parte, *Naturæ Miraculum*, esset inscriptum.

Scripta ejus pene innumera, quæ Tom. 6. in fol. edit. Paris. 1643. & Tom. 12. 1684. Francof. cum omnium notis, & commentariis, continentur, non est ut hîc numerem. Ex his autem scriptis quæ Genuina, Dubia, Spuria, & Deperdita, vide apud Gul. Cave in Hist. liter. Script. Eccles. Quid denique de Hieronymi Operibus autores senserint, longum, & difficile esset adnotare. Id tantùm pro ejus laude dixisse sufficiat, ea omnem omnium laudem, etiam Romanæ Ecclesiæ hostium, promeruisse. Plura, ac digna ejus elogia vide apud Marcellin. in Chron. Baron. in Annal. S. August. contra Julian. lib. 1. c. 7. Cassian. Sulpic. Sever. Grot. Erasmi. Lud. Viv. Gottefrid. Olear. P. Cunæum; aliosque innumeros: præcipue ejus Vitam, ejusdem Operibus appositam.

S. GREGORIUS NYSSENUS

NYSSÆ in prima Cappadocia Episcopus, S. Basilii Magni Cæsareæ Archiepiscopi, S. Petri Episcopi Sebastes in Armenia, & S. Macrinæ Virginis frater, vir eloquentissimus, & multiplici eruditione præstans, ut eum vocat Suidas; dulcis, & illustris Ecclesiæ fons, ut Leo Imp. appellat Constit. 88. ex Rhetorices Professore ad curam pastorem sub Valente Imp. traductus fuit, Uxorem habuit Theosebiam, feminam erga Dei cultum eximiam, ut nomen ipsum Theosebiæ ei quam aptissime conveniret: quæ cum Gregorius ejus vir ad Sacerdotium assumptus est, & ipsa inter Diaconissas Dei cultui devoveri voluit. Gregorius Nyssæ Episcopus vix creatus, à Valente in exilium missus est circa an. 370. quod Orthodoxis patrocineretur. Deinde post 7. exilii annos à Valente evocatus, & suæ fedis redditus. Œcumenico Constantinopolitano Concilio inter primos sedit an. 381. ac fidei Libelli, Symboli appellati, autor dicitur à Nycephoro, & aliis: imò tantæ fuit doctrinæ, & autoritatis apud omnes, ut Theologi Græci æque ac Latini ad confirmanda Orthodoxæ Fidei dogmata testem certissimum adhibuerint, & Patrem Patrum appellaverit. Obiisse dicitur valde senex circa an. 396. die 9. Januarii, ut Fastis Græcorum adscriptum est, sive 9. Martii, ut ex Martyrologio Latino.

Quod autem Philosophus fuerit Eclecticus, clarissime ostendit præ aliis Sixt. Senens. his verbis: *Gregorius Nyssenus, quem Græci honoris causa Patrem Patrum appellant, Academicis, ac Peripateticis disciplinis excultus, vir eloquentiæ nervosæ, ac cultæ, &c.* Et confirmat Ell. du Pin. Nov. Bibl. Autor. Eccles. Tom. 2. p. 682. & 683. . . . *Philosophiam Theologiæ commiscet, Philosophorumque principiis utitur tum in Mysteriorum explicatione, tum in Moralibus suis sermonibus. Quapropter ejus opera tractatibus Aristotelis, & Platonis, quam aliorum Christianorum similia sunt.*

Scripta ejus plura, & eximia, styli perspicuitate, & elegantia commendabilia, omnia simul collecta exstant Vol. 3. in fol. Paris. in quibus præter Oratoriam artem, & eruditionem, phrasin, & dulcedinem, Christiana simplicitas etiam notatur; ut præ aliis advertit Abraham. Scultet. in Medul. Patrum, ajens: *Gregorius fuit natura simplex, & bonus: ideo χρησδότης, idest, simplicitatem ejus reprehendit alicubi Basilii frater. Et Erasmus bene judicat, in stylo quoque piæ simplicitatem Nysseno placuisse.* Ejus Opera Genuina, Spuria, Deperdita, quæ sint, vide apud Gul. Cave. De Gregorio Nysseno passim omnes, præcipue Greg. Nazianz. Hieronym. Trithem. Socrat. Sozomen. Theodoret. Bellarm. Possevin. Baron. Le Mire, Quenstedt, Phot. &c.

JACOBUS MAZZONIUS

Cesenæ natus, Philosophia, atque omni eruditione clarus, literatis omnibus, ac præcipue Jacobo Critonio, viro inter Scotos literatura eximio, qui omni studio literatos inquirebat, carissimus fuit. Cùm autem simul Venetiis convenirent, post multas, arduasque literarias contentiones coram nobilibus, doctisque viris habitas, hoc à Critonio encomium meruit, à se nullum sive argumentorum vi, & subtilitate, sive elocutione, & doctrina, Mazzonio similem inventum fuisse. Hinc jure merito Joh. Imperialis in Musæo Historico de ipso ait: *Hic ingenii divinitate antiquos Græcorum, & Arabum sapientes aequasse videri potest, Latinos verò forsitan omnes acumine provocasse.* In Patavino Gymnasio Pendasii partes, cujus se præceptis devoverat, contra Mercenarium editis etiam scriptistutus est. Mirabile etiam illud est, quod habet cit. Imperialis ibidem, eum annos natum 27. Bononiæ Theses 5197. ad omnes scientias spectantes, magna sui nominis gloria, & auditorum stupore, propugnasse. Philosophus fuit Eclecticus, Platonis æque ac Aristotelis doctrinam secutus.

Quamvis à multis Orbis Academiis ad primos Magisterii honores vocatus esset, Magno tamen Hetruriæ Duci in celebri Pisarum Gymnasio inservire placuit. Cùm autem postea à Cardinali Aldobrandino rogatus Hetruriæ Dux esset, ut Mazzonium sibi cederet, vel invitus hoc fecit. Quare anno 1600. Romam venit, ubi ut ingeniorum portentum & creditus, & habitus est. Pontificis etiam cum Ferrariæ Duce controversias composuit. A Castanea tum Cardinali, ac Legato Bononiensi, & deinde Pontifice Maximo, Literatorum Princeps appellabatur. Literarias controversias cum doctissimo Franc. Patricio, & Belisario Bulgarino habuit. Denique Ferrariam cum eodem Aldobrandino veniens, eo loci mortuus est an. 1603.

Ex editis Mazzonii Operibus præcipue sunt: *Methodus de triplici hominum vita lib. 3. quæst. 5197. distincta: In universam Aristotelis, & Platonis Philosophiam Prælia: Platonis & Aristotelis consensus: Difesa del Dante, &c.* Mazzonius à Leonardo Salviato dicitur vir in supremo gradu scientificus, in omnibus idiomatibus civis, in omnibus facultatibus magister, qui tantum sciret, quantum reminisceretur, reminisceretur quantum legisset, legisset quantum ubique scriptum reperiretur. Vide cit. Imperialem. Jan. Nic. Erythraeum, &c.

LEO ALLATIUS

Græcus, cui Patria Chios, vir *πολυμαθής*, ut ex ejus libris omnigena eruditione refertis videre est. Anno ætatis nono Italiam veniens, in Calabria apud ditissimos, ac nobilissimos Spinellos commoratus est. Inde an. 1600. Romam venit, ac Græcorum Collegium ingressus, humaniorum literarum, Philosophiæ, ac Theologiæ studiis operam dedit. Tum à Bernardo Justiniano Episcopo Anglonæ in suum Vicarium Generalem electus, summa virtute, ac laude sic ejus vicem gessit ad annos duos, ut ab Andrea Justiniano idem ipsi munus fuerit demandatum. Sic in patria ad annos aliquot commoratus, Romam rediit, ubi Medicas disciplinas didicit sub præceptore Julio-Cæsare Lagalla, publico in Sapientiæ Archigymnasio Professore; cujus disciplinæ doctoratus etiam lauream est consecutus. Post hæc Græcorum in Romano ipsorum Collegio Præceptor factus, eos in vario scientiarum genere erudit. Gregorius XV. ut Summus Pontifex creatus fuit, Leonem in Germaniam misit an. 1621. ad Biblio-

bliothecam Heidelbergensem inde Romam transferendam. Postea Cardinalis Barberini, ac omnium sui ævi literatorum gratiam, & existimationem nactus, in id totus incubit, ut libros vel proprios ederet, vel Græcos Latinos redderet, vel antiquos, & obscuros dilucidaret. Tandem Alexander VII. ipsum in Primum Vaticanæ Bibliothecæ Custodem elegit. In hoc munere obeundo mirum quam præclare se gesserit. Pietate etiam, ac virtute insignis vir erat; nam & multa Collegia in patria sua erexit ad concivium in literis, & Christiana pietate eruditionem. Romæ obiit an. 1667. Plura edidit volumina de rebus tum ad Eruditionem, tum ad Religionem spectantibus. Philosophica sunt: *Socraticorum Epistolæ*. *Sallustii Philosophi Opusculum de Diis, & Mundo*. *Julii-Cæsaris Lagallæ Philosophi Romani Vita*, &c. A cunctis æque commendatur autoribus; è quibus Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 29. 9. ita: *Præterea nomen suum in Italiam tum perpetuè commendabat memorie; Læo Allatius Chiùs, doctissimus hac ætate Græcorum, &c.*

DANIEL HEINSIUS

G Andavi, quæ Flandriæ Metropolis, natus est an. 1580. vel 1581. ex patre Nicolao; qui filium tres annos natum ob civile bellum de patria eduxit. Latinis, Græcisque literis, Philosophia, ac disciplinis fere omnibus apud Batavos imbutus, brevi ipsorum Professor fuit egregius: nam vix vigesimum ætatis annum ingressus, Latinæ, ac Græcæ linguæ, Legum item, & Philosophiæ literatum cursum expleverat. Unde Amstelodami ad Bibliothecarii munus, & Politices in ejusdem Civitatis Universitate Cathedram electus, utrumque munus egregie sic peregit, ut magnam literati famam, & existimationem nedum apud Batavos, sed etiam apud omnes Europæ literatos sit consecutus. Multas, sicut Transalpinis mos est, Europæ civitates, & Academias peragravit. A Principibus honoribus insignitus est eximiis; nam à Gustavo II. Sueviæ Rege Historiographus, & Consiliarius Regius nominatus est; & Resp. Veneta eum S. Marci Equitem fecit: cujus dignitatis insignia à Marco-Antonio Morosino, ejusdem Reip. ad Batavos Oratore, accepit. Jam senex Orientales etiam linguas didicit. Summa facilitate metro, ac prosa tot edidit varii argumenti libros, omnes tamen mira eruditione refertos, ut ipsos vel numerare longum esset. Sive enim obscurorum veterum scriptorum Græcorum, & Latinorum libros ab ipso vel interpretatione, vel commentariis, & notis illustratos, sive à se editos spectes, universalis, & incomparabilis dicendus est. Reliquis verò varii argumenti libris Heinsii prætermittis, Philosophicos adnotabo, qui sunt. *De Stoica Philosophia. Paraphrasis Andronicæ Rhodii in Arist. Ethicam ad Nicomachum. Maximi Tyrii Platonicæ Dissertationes 40. Gr. Lat. cum notis. De Contemptu mortis lib. 2. versu, & prosa. Paraphrasis perpetua in Politica Aristotelis. De Civili Sapientia, & Præfatio in lib. 2. Politic. Aristotelis. Socrates, sive de doctrina, & moribus Socratis. Oratio, & Præfatio in lib. de Mundo, vulgo Aristoteli inscriptum. Laus Pediculi. Laus Asini &c.*

CAPUT IX.

Philosophi Chymici.

ET PRIMO

DE CHYMIÆ.

DE re tam vasta, & spinosa, de quo tot edita sunt volumina, quot nulla unquam Bibliotheca capere posset, verba facturus, illud hinc in limine animadvertendum duxi; me eidem compendiariæ Historiæ Methodo inhærentem, nonnisi Chymicæ *Scripturam*, *Etymon*, *Significationem*, *Originem*, *Doctrinam*, ac præcipuos *Seçtatores* breviter vel digito tantum attingere, & indicare, non utraque manu funditus haurire, & examinare, ad brevem quidem, sed sufficientem ejus rei notitiam, jure merito statuisse. Non igitur de quaque Philosophiæ Secta tractatum faciam, quod & longissimum esset, & à meo prorsus alienum instituto; sed quæ de singulis ἀξιωματώδητα, & scitu potiora sunt, adnotabo.

Chymicæ **SCRIPTURA**, **ETYMON**, **SIGNIFICATIO**. *Chemia*, *Chemia*, *Chimia*, *Chymia*, scriptum invenies apud autores; nam à varia derivatione varia scribendi ratio venit: quævis tamen Scriptura, adhuc salva Orthographia, defendi potest tum origine, tum etiam autoritate. *Χημία* apud Phorium ex Zosimo Panopolita; *Χημία* apud Suidam; *Χυμία* apud alios frequentissime à *χέχλωμου*, à quo *Χυμός*. Quibus vocibus Arabes, hujus artis si non inventores, saltem præcipui cultores, suum articulum *Al* addentes, *Alchemiam*, & *Alchymiam* efformarunt. Dicitur etiam *Σπαγίρεια*, *Spagirica ars*; quod vocabulum Græcum esse ait Rul. & Johnf. in Lex. Rolfinck. à *σπᾶν*, καὶ ἀγέρον, *extrahere*, & *colligere* (quæ prima vox *σπᾶν* male à quibusdam redditur *disgregare*: *σπᾶν* enim non significat *disgrego*, sed *trabo*, *extrabo*, unde vulgaris vox apud nostrates *Spao*, funiculum tenuissimum significans, quod funiculis omnia trahuntur, & ipsum sutores in suendo trahunt) Ars enim est, teste Paracelso, quæ purum ab impuro, sive utile ab inutili extrahere, & colligere docet, ut virtus remanens validius operetur. Male igitur, si etymon modò dictum spectes, *Spagyrica* à quibusdam scribitur, nam *Spagirica* potius scribendum, si Græcam sapit originem. Vocatur etiam *Ars Hermetica*, ab Hermete, qui ejus inventor creditur; ut mox dicam; & *Πυροτεχνία*, *Pyrotechnia* ἀπὸ τοῦ πυρός καὶ τέχνης, *ab igne*, & *arte*; enim vero ars est, quæ per ignem operatur. Hornius vero Hist. Philos. lib. 3. c. 5. hanc tradit Chemiæ vocis originem: *Ipsam Chemiæ nomen à Chamo, Noachi filio fluxisse opinor; qui, uti supra notatur, ejusmodi artium studiosus fuit. Nam & Ægyptum ipse primus tenuit, ubi ars illa antiquissimis temporibus inter mysteria sacra habebatur: & ipsa Ægyptus in Sacris Osiridis à Chamo Chemia dicta est.* Chymia in duas dividitur partes, & quarum prima, vetustior est *Μεταλλουργία*, *Metallurgica*, sic dicta, quia Metallorum transmutationem, & purificationem operatur, unde Græcum hoc ei nomen est; docet enim metalla impuriora in puriora convertere, & purum in ipsis ab impuro separare; atque hæc proprie *Alchymia* dicitur, ejusque professores *Alchymistæ*, qui *Χρυσοποιίαν*, καὶ *Ἀργυροποιίαν*, *Auri*, & *Argenti formationem* laborant. Ad quam Alchymicæ partem respexisse videtur Suidas, cum eam definivit: *ἡ τῆ ἀργύρου, καὶ χρυσοῦ κατασκευὴ*, *Argenti*, & *Auri præparatio*. Secunda est *Chymia Medica*, quæ ex triplici naturæ regno, Animalis, Vegetabilis

billi, & Minerali prædicamenta præparat ad corporis sanitatem conservandam, vel amissam recuperandam: cui competit supra dicta Paracelsi definitio, vel hæc, quæ in idem coincidit: *Ars bene laborandi, hoc est, corpora heterogenea dissolvendi, homogenea conjungendi.* Atque hæc proprie Spagirica vocatur. Duplex hinc dicitur Chemiæ utilitas; rerum naturæ dignotio, & morborum facilior sanatio.

ORIGO antiquissima est, ex omnium consensu, si Alchymiam spectes, quam ad Hermetem Ægyptium, Trismegistum vocatum, quidam referunt, cujus Tabula Smaragdina totius artis fundamenta continere dicitur. Hunc tamen Hermetem non Trismegistum, sed Hermetem Arabem Medicum fuisse, alii contendunt. Quidam Mosen quoque Alchymiam peritum volunt, imo & ipsum Adam. Vellus etiam aureum, quod Jason periculosa in Colchidem navigatione cum Argonautistanta animi contentione quæsiuit, & nonnisi perfecta re non conquievit, donec voti sui compos in patriam rediit; non aliud fuisse, plures affirmant, nisi librum *περὶ χρυσοποιίας, de Chrysopeia*, seu auri fabricatione, in Colchide diligenti cura asservatum, in quo scilicet tradebatur, ut ait Suidas *ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν, Quomodo fieri debeat per Chemiam aurum.* Quæ sententia Langio etiam arridet lib. 1. Ep. Med. 53. Hanc vero artem fabulis hæc veteres occultare voluisse, Alchymistæ tradunt. Sed Jos. Scalig. ad lib. 4. Manil. ait: *Non habemus antiquiorem Firmicio, qui Alchymiam mentionem fecerit.* Et Delrio Disquis. Magic. lib. 1. c. 5. *Alchymiam opinor vetustam, sed certa testimonia ante ævum Caligulae non invenio.* Addam phantasticam Zosimi Panopolitæ sententiam in lib. 1. de Chymia, homines scilicet esse hanc artem edoctos ab Angelis illis, qui cum mulieribus consuescentes, gigantes procrearunt; cujus verba refert Photius, & Jos. Scalig. in notis ad Eusebium. Quidquid tamen alii *φανταστικῶς* magis, quam vere de Chymiam Origine jactitent; ita apud omnes fere confessa res est, & manifesta, eam nobis ab Arabibus, sive Mauris Hispaniam occupantibus, transisse: quod probant, ut ajunt, Chymica multa, quæ afferunt Avicenna, Bulcasis, Rhasis, Joh. Mesue, alique. Mauri verò ab Ægyptiis acceperunt, qui ex ea ditescabant. Quare, ut Suidas in Chymia, atque alii scribunt, Diocletianus Cæsar, capta Alexandria, libros omnes summo studio undique congregatos combussit, ut occasionem Ægyptiis eriperet hac arte ditescendi, armaque adversus Romanos capiendi. Sed quanquam Alchymia vetustissima sit, serò tamen ad Romanos pervenit. Et Joh. Franc. Buddeus in Hist. Phil. succincta delineatione p. 81. *Chemicorum Secta sec. 17. reliquas omnes amplitudine, & diuturnitate superavit. Originem ejus quidam ad Hermetem Ægyptium, & Mosen referunt; quod de peritia solvendi metalla forsitan concedi posset. Post Constantini M. tempora Transmutatoriam artem professi sunt inter Græcos Zosimus Panopolites, Synesius, Olympiodorus Alexandrinus, Theophrastus junior, Hierotheus, Archelaus, alique.* Attamen secundum Conringium, & Buddeum Arabes non ab Ægyptiis, sed à Græcis, atque hi ab Ægyptiis acceperunt Alchymiam. Chymiam verò Medicinalis longe recentior est Origo. Hanc doctissimus Daniel Clericus in Hist. Medic. continuatione ad Arabas, decimo, vel undecimo seculo viventes, hoc est, non ante Avicennam, refert: quem omnium primum aliqua Medicamenta Chymica memorasse affirmat.

DOCTRINA alia Alchymiam, alia Chymiam, sive Spagiricam artis, est. Alchymiam doctrinam synopsis talem exhibet Joh. Franciscus Buddeus loc. cit. p. 84. *Quamvis difficile fuerit Mystica hujus, ac Theosophicæ Philosophiæ systema aliquod exhibere, cum non in omnibus omnes inter se consentiant, sed eorum fere quisque singulares quasdam foveat opiniones; præcipua tamen, &*

omnibus fere communis doctrina, in qua si non omnes, plerique saltem eorum consentiunt, ad hæc capita commode reduci potest. In philosophandi methodo incipiendum à Deo est, & ab eo descendendum ad creaturas. Rite igitur philosophaturæ pœnitentia potius, & cupiditatum coërcitione opus est, quam Organo aliquo Aristotelico. In Deo enim res omnes quam accuratissime cognoscuntur; & sicut omnia ab eo effluxerunt, ita omnia in eum sunt reditura. Impressit Deus rebus omnibus suam imaginem; hinc ut rerum omnium natura in Deo, ita & Dei essentia in rebus creatis, præcipue in homine concipi potest. Qui à Deo nexum, rerumque omnium Analogiam, quæ inter Creatorem, & res creatas intercedit, cognoscit; ei & rerum omnium vires occultæ patebunt: quæ vere Magia Naturalis est. Veræ Astrologiæ peritus erit, qui mirabilem astrorum efficaciam, & in hæc inferiora influxum noverit. Cum metalla astris admirabili harmonia respondeant; scire hinc oportet genuinum semen metallorum, quod ab astris proveniat, excipere, aut ex aliis corporibus extrahere: quo semine non solum viliora metalla mutari in aurum possunt, sed præparari quoque potest Universale Medicamentum, quod pellendis morbis omnibus, & vitæ quamlongissime prorogandæ inserviat. Inest hinc Mundo Spiritus Architectus, atque Archæus operum naturalium, quorum rationem reddere nescimus, causa. Hic corpora efformare, & conservare quamdiu potis est, & certa signa, & characteres, quos Signaturas vocant, iis imprimere, quas qui intelligat, is statim quoque vires eorum, & facultates cognoscet. Homo ex tribus componitur partibus; quarum præcipua, Divinæ scilicet essentiæ particula corporis mole, siderique, seu auralis spiritus viribus velut captiva tenetur. Si autem corpori obediat homo, in brutali is statu versatur: ab hoc tamen emergit, & ad humanitatem redit, si astralis spiritus imperium accipiat: perfectum autem fieri, si Divinæ essentiæ particule jam liberatæ omnia subjiciantur. Mala omnia, quæ homines premunt, ex eo oriuntur, quod corpori, & astrali spiritui obediant. Feliciora tamen tempora imminent, quibus puriori menti locum, libertatemque concedent; & tunc cum perenni tranquillitate summa quoque artium, & scientiarum perfectio expectanda est. Alchymistarum igitur (qui Theosophi, Adepti, &c, quæ sunt ejusmodi, speciosioribus nominibus appellari volunt) ad ignem, fumumque deperditorum, pessima, ac periculosa occupatio in id tota est, ut Lapidem Philosophicum conficiant, sive is pro Panacea, seu Universali morborum omnium remedio, sive pro Seminio ad aurum perficiendum necessario, accipiatur. Verùm an Medicina Universalis, & Aurum Artificiale ab Alchymistis unquam inventum fuerit, fides sit apud eos: mea enim non interest rem adeo controversam ad trutinam revocare, cum Historicum agam, non criticum. Vulgare tantùm hinc memorem proverbium, cujus etiam meminit Guido Pancirollus, quo per longam experientiam id asseritur: *Nunquam vidi Alchymistam divitem. Quod item resonat Italicum illud: Non ti fidare all' Alchimista povero, e Medico ammalato.*

DOCTRINA vero τῆς Ἐπαγωγῆς, sive Chymix Medicinalis, quæ regulas tradit mista omnia in sua Principia componentia resolvendi, sive partes puras, hoc est, Principia Activa, à partibus impuris, seu Principiis Passivis separandi, talis est. Corporum naturalium Principia, ex Theophr. Paracelso, alia sunt Activa, alia Passiva. Activa sunt Sal, Sulfur, & Mercurius. Passiva Phlegma, & Caput mortuum: quæ tamen Principia Paracelsus à Basilio Valentino mutuò accepit; qui Basilius aliis etiam nominibus Activa hæc Principia appellavit, Spiritum scilicet Animam, & Corpus; quibus metalla omnia constare ait, per Spiritum Mercurium, per Animam Sulfur, & per Corpus Sal intelligens. Per hæc autem nomina non vulgaria Sal, Sulfur, & Mercurius,

rius, accipienda; sed per Sal intelligantur tales particulæ materiales, rigidæ, inflexibiles, & varie acutæ, quæ facillimæ sunt solutionis, & linguam, & os sæpius feriendo, gustus sensum inferunt. Sulfuris nomine veniunt particulæ ramosæ, pingues, quæ facillime ignem concipiunt. Mercurii denique nomine insigniuntur particulæ rotundæ, teretes, ac proinde facile mobiles. Phlegma verò, & Caput mortuum Passiva dicuntur Principia, quia nullam vim, & energiam habent, sed præbent se ut puram materiem, in quam Activa Principia agere possint. Omnis autem Spagiricæ artis *ἐγχειρησις*, manualis operatio in solutione, & coagulatione consistit; unde Chymicorum dictum: *Solve, & coagula*. De Ortu, & Progressu Chymicæ videatur, præter alios *Herman. Conringius de Herm. Medicina*; & contra hunc *Olai Borrichii Dissert. de Ortu, & Progressu Chymicæ*: & ejusdem *Hermetis, Ægyptiorum, & Chymicorum Sapiencia contra Apolog. Conringii vindicata*. Sed ad Chymicos post Chymiam accedamus.

RAYMUNDUS LULLIUS

E Remita, Natus est in Insula Hispaniæ Majorica circa A. C. 1235. Alchymiam Arnoldi Villanovani, præceptoris sui, tumultatam quasi, revocavit. Scripta ejus pleraque ab ejus sectatoribus, ut Jacobo Fabro Stapulense, Carolo Bovillio Samorobrinno, & Henr. Cornel. Agrippa, exarata fuisse, suspicio quorundam est. Æreas aliquot pilas in auri substantiam mutasse, inque Regis Britanni Atrio adhuc asservari, fertur. Fuit propriæ, ac singularis, cum Philosophiæ, tum Medicinæ, ac propemodum Theologiæ. Anno ætatis suæ 30. solo pietatis ardore, in Africam trajecit, ibique in nefariam Muhametanorum sectam, aliosque infideles acriter invehens, multos convertit, ac ad Christi cultum traxit; quo studio totos 45. annos insumpsit; donec Regis Bogiæ jussu, velut alter Stephanus, Martyr lapidibus obrutus obiit in Africa A. C. 1315. ætatis suæ 80. Ita Vander Linden de Script. Med. In Palma Majoricæ Insulæ civitate ex nobili Barcinonensium stirpe ortum refert Mich. Mayer. à quo Protheus ingenio, Dædalus arte, & Polycletus norma judicii, appellatur. Scriptores autem omnes in oppositum partiti sunt: quidam enim ipsum Martyrem, Sanctum, Doctorem Illuminatum vocant; sepulcrum ejus in Majorica venerantur; & plura de eo miracula prædicant. Alii contrà inter hæreticos, magos, impios, hiltriones, ac perditæ memoriæ viros eum recensent. Inter primos sunt tum ejus cives, qui in Majorica Lullianæ Philosophiæ loco Aristotelicæ magno stipendio dant operam; tum ipsius discipuli, & sectatores: peculiaris namque ex eo Secta orta est, quæ Lullistarum dicitur: quibus adde Rabbinos, qui dicebant, Lullio tantam Sapienciam Deum tradidisse, quantam Salomoni concesserat, ut notat Konig. in Bibliotheca. Mirum igitur non est, si in icone quodam, in quo vocatur *Philosophus*, in ejus ore Scheda sit, cui inscriptum: *Lex mea est ipse Dominus*; atque additum sequens distichon:

*Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem,
Cui Deus infudit scibile quidquid erat.*

Laudat etiam Herman. Conring. à quo dicitur homo mirifici ingenii, cui Ars Alchymistica, & Vini Spiritus inventio debetur: & Robert. Constantinus in Nomenclatura.

Contra Lullium sunt Baco de Augment. Scient. lib. 6. c. 2. ubi ejus Artem æque ac Methodum ad imposturam potius, quam ad doctrinam laudabilem, valere ait. Henr. Cornel. Agrippa de vanit. Scient. qui Lullii Artem ad pompam ingenii, & doctrinæ ostentationem potius, quam ad eruditionem comparandam valere, ac longe plus habere audaciæ, quam efficaciam affirmat. Lanfius

in Orat. contra Hispaniam p. 377. ubi de Lullio: *Hominem stultissime subtilem; qui cum omnium bonarum literarum esset expertus, ac ne Latine sciret quidem, multa tamen ausus est patrio sermone evulgare, & tali obscuritate permiscere, ut, doctissimi licet, pauci admodum ea capiant: quod ineptissimæ scientiæ certum existimo argumentum. Ego Lulli Lapidem, & Doctrinam pari dignor pretio: & cum Poëta sic statuo:*

*Qui Lulli Lapidem quærit, quem quærare nulli
Profuit; haud Lullus, sed mihi nullus erit.*

Mitior tamen est censura Rapin. Reflex. in Philos. Sect. 17. Quod autem non Sanctus, & Martyr, sed hæreticus, sed impius fuerit, hoc maxime utuntur argumento, quod Eimericus memorat, ipsum de plusquam trecentis erroribus apud Gregorium XI. fuisse accusatum: qui deinde ab Episcopo Tarraconensi circa an. 1372. ejusdem Pontificis jussu examinati, & damnati fuere. Addunt ejus accusatores, eum docuisse, Dei essentiam non unam esse, sed plures: Deum Patrem ante Filium genitum; & his similes execrandas blasphemias. Verùm Lullii accusatores Lullium pro Lullio sumentes forsan decepti sunt. Alter enim ab hoc nostro fuit Raymundus Lullius, nostro junior, dictus etiam Neophytus, natione Judæus, Tarragæ in Hispania natus, qui, accepto Baptismo, Dominicanis nomen dedit: sed mox iterum Judaizans, varias horribiles protulit contra Religionem Orthodoxam propositiones.

Plusquam quatuor voluminum millia in Philosophia, Medicina, & Theologia noster Lullius scripsisse fertur, ut est in Ephem. Gall. Erud. Tom. 1. Olear. in Abac. PP. quorum Elenchum, licet tantum præcipuorum, longissimum vide apud Gesnerum in Bibl. quem Catalogum à Carolo Bovillo, qui Lullii Vitam scripsit, excrispsit. Extant etiam plures Lullii tractatus de Lapide Philosophico conficiendo, de Secretis Chymicis, & similibus rebus ad Chymiam spectantibus, in Theatr. Chym. Vide, præter dictos, Wading. in Annal. & Bibl. Min. Andr. Schot in Bibl. Hisp. Bellarm. de Script. Eccles. Bzovium; Spondum, &c.

ARNOLDUS VILLANOVANUS

Natus Villanovæ in Oppido Galliæ Narbonensis A. C. 1300. patre plebejo: Petr. Aponensis, & Raymundi Lullii coætaneus: Medicinæ Praxin, & Alchymiam, sive auri conficiendi methodum Parisiis publice docuit: Magicarum artium, quod Sigillorum, Characterum, Divinationis, & Prædictionum Astrologicarum facultatem approbaverit, nec non singularis cujusdam hæreseos suspectus, ad Siciliæ Regem Federicum perfuga se contulit. Hinc à Rege Romanam missus ad sanandum Summum Pontificem, in itinere A. C. 1363. ætatis suæ 63. obiit in mari, ex eoque Genuam translatus, ibi sepultus est cum marmoreo monumento, quod adhuc ibi visitur. Vander Linden de Script. Med. Cùm autem Villanova tum Galliæ, tum Hispaniæ Oppidum vocetur; hinc factum, ut Hispani Aragonenses suum contendant, Galli Norbonenses suum: prævalent tamen Gallorum argumenta, & testimonia; in Gallia enim scientias & didicit, & docuit Latinæ linguæ, Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ; Philosophiæ etiam, & Thæologiæ peritissimus fuit. Nobile ejus ingenium, & eruditionem maximam laudat Joh. Mariana lib. 14. Rer. Hisp. c. 9. sed pravis superstitionibus, pravisque de religione opinionibus suam ex literis adeptam famam coinquinavit; unde & ipse ab Inquisitoribus ignominia notatus est, ejusque libri damnati. Quod autem idem subdit: *Ex humano semine quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformasse, qui affirmet, autorem habeo; salva*

salva pace tanti viri, imposturam censeo, cum nullimode fieri possit. Ex Astrologicis suis prædictionibus, quibus certam habebat fidem, edixit, Mundi finem mox futurum, annumque præfixit 1335. vel 1345. vel 1376. Sed prædictionem hac magis insanam, ac temerariam quis unquam audivit?

Scripta ejus complura unà cum ejus Vita in fol. cum Notis Nicolai Tauleri habentur; ex quorum numero, præter Medica, sunt *Rosarius Philosophorum. Novum Lumen. Sigilla. Flos Florum. Epistola super Alchymiam. De Judiciis infirmitatum secundum motum planetarum. Speculum Alchymiae. Carmen. Quæstiones. Nova Opera Chymica, hoc est, Thesaurus Thesaurorum, &c.* edita sunt Francof. 1603. De Arnaldo ita Joh. Imperialis in Musæo Hist. Portentoso vir ingenio, *Veterum Novatorum maximus, dogmatum raritate percelebris, quem sibi civem Galli certatim, & Hispani vendicant. Is licet humili patria, obscurisque profectus laribus, tamen arcano impetu, ac excellenti mentis indagine, peritiorum naturæ operum scrutator acerrimus, Europam fere omnem sui nominis majestate complevit. Hoc ipsi vel in fatis fuit, Medicinam Astrologiæ, ac intimiori cuidam Philosophiæ perpetuo jungere, &c.* Naud. tamen de Stud. Militar. lib. 1. *Ut erat homo multum deditus Rabbitorum, & Alchymistarum deliramentis, ita nonnullorum Sigillorum compositionem in sua Medicinæ practica docuit.* Vide S. Antonin. Spond. Just. Castellan. Delrio, &c. & præcipue ejus Vitam suis Operibus additam.

R O B E R T U S

Cognomento *Inquisitor, & Persecutor*, Monachus Dominicanus, natione Anglus, patria Eboracensis, sec. 14. sub Eduardo II. & III. floruit. Inquisitoris autem, five Persecutoris cognomen ex eo habuit, quod summa animi contentione quidquid Christianæ, ac profanæ Philosophiæ, & Matheos disciplinæ erat, inquirebat, & scrutabatur. Quidam eum Magiæ accusant; idque ex ejus operibus evincunt, in quibus ipse, nullo Christiani, magis autem Dominicani nominis habito respectu, curiose nimis Secreta utcumque collecta pertractat. Scripsit enim *Mirabilia Elementorum. Impressiones Aëris. De Magia Ceremoniali. Mystera Secretorum. Correctorium Alchymiae.* Vide Pitseum de Illustr. Angl. Script. Antonium Senensem: Joh. Lelandum, &c.

AUREOLUS PHILIPPUS THEOPHRASTUS BOMBAST
PARACELSUS

AB *Hobenheim*, natus ex nobili familia *Paracelsorum* in *Helvetiorum Vico Einsidlen* dicto, duobus Tiguro milliariibus distante A. C. 1493. patre *Wilhelmo*, Medicinæ Licentiato, ex principe quodam, sed extra thorum, prognato. Per multas cum Europe, tum etiam *Ægypti, & Arabiæ* pervagatus regiones, tandem reversus, *Basileæ* Medicinam fecit, desperatos sæpe morbos sanando, eamque ibidem publice docuit. *Job. Crato* affirmat, *Paracelsum* non primum invenisse sua remedia, sed in libro quodam ante 200. tunc annos scripto à *Monacho* reperiisse. Magiæ suspectus fuit. Obiit *Salisburgi* A. C. 1541. ætatis suæ 48. ibique sepultus est in *Nosocomio ad S. Sebastianum*. *Vander Linden* de Script. Med. Ex tribus primis nominibus solum nomen *Philippus* ei in Baptismo impositum notat *Comingius*; reliqua autem duo ad splendorem potius accepisse; *Bombast* autem cognomen nobilissimæ familiæ fuisse, ex qua *Wilhelmus* pater illegitimum ortum traxerat, Princeps *Georgius* ejusdem familiæ testatus est; *Paracelsus* verò propriæ familiæ cognomen creditur: denique ab *Hobenheim* dictus

dictus à loco ejusdem Principis Bombast ditionis . Ipse tamen Paracelsus in lib. cui titulus *Paragranum*, solum *Theophrasti* nomen amabat, quod sæpissime solum ponebat, asserens: *Et naturæ, & Baptismatis jure Theophrastus nominor.* Erastus ipsum eunuchum fuisse asserit, sive ex amputatione à viro quodam facta, sive ex morfu porci, ei in infantia avulsis testibus; unde & feminarium osor semper fuit, ut testatur Oporinus suus familiaris, qui biennio ei à secretis adstitit: qui fatetur etiam, Paracelsum toto eo tempore Deo preces fundere à se nec visum, nec auditum. Neque mirum, nam pessime, & ἀλόγως de Orthodoxa, omnique religione sentiebat, novam ipse suis dogmatis, imo veriùs deliramentis, stabilire jactans. Ex his pauca hinc referam, unde qualis ejus doctrina, sive potius stultitia fuerit, cognosci possit. Libro 5. de Morbis Invisibilibus ait, Deum cacodæmoni Magiæ scientiam tradidisse perfectam, eamque ab ipso, eo tamen inde relicto, nos haurire, & excerpere debere. In Labyrintho Medicorum errantium asserit, Magiam, in se consideratam, scientiam esse occultissimam, per quam tum rerum supra naturam, tum etiam naturalium, quarum ratio reddi aliunde nequeat, absolutam notionem habere possumus. Ecquis enim Theologorum, pergit delirans, spiritum malum ejicere, vel invocare sine Magia unquam potuit? (similis in hoc Paracelsus Pharisæis, qui Christum Dominum in principe Dæmoniorum, & per Magiam Dæmonia ejicere dicebant) Quis Medicorum sine Magiæ ope ægrotum vel unum curavit? Unde Magiam vocabat Artem Artium, per quam reliquæ inventæ, & per quam solam, non per Galeni, Avicennæ, & similium libros, ad Medicinæ cognitionem pervenire quis possit. Magicum igitur, & Magicorum principem se jactando, in Præfat. libri *Paragranum*, & *Thesauro Alchymicæ*, fidei aliis, sed levibus corde, faciebat, se ab Inferis Galeni literas accepisse, ac in ejusdem tenebrosi loci vestibulo cum Avicenna de Auro Potabili, de Tinctura Philosophorum, de Quinta-essentia, de Lapide Philosophico, de Mithridate, & de Theriaca, disputasse. O insaniam insanissimam! ò nequissima deliramenta! ò ridiculam ebrii mentem! Ebrium autem ipsum dixi, non ex Henrici Bullingeri testimonio tantùm id affirmans, sed ex ipsius Joh. Oporini sui familiaris, qui in Epistola ad Solenandrum, & Wierum de Vita, & moribus Paracelsi, testatur, ipsum nec una, vel altera diei hora non ebrium observasse, adeo vino, & crapulis indulgebat; sicque ebrium semper vestibis indutum dormivisse. Hoc autem, Oporinus subdit, nullo erat impedimento, quin Philosophica sibi dicitaret. O Philosophiam vinum redolentem! ò vinosum hominem! Sed si *In vino veritas*, ut in proverbio est, patrocinentur ei sui fautores, & asseclæ, agentes, mentem per vinum amotam, & veluti extra corpus raptam, veritatem cognoscere, liberius philosophari, atque etiam quandoque futura prædicere. Esto; nec alia ei laus sit, quam quæ ex vini furore, & veritatis per vinum inquisitione proveniat.

Paracelsi Theologiam Magiæ ope acquisitam si scire quis cupiat, adeat Thomam Erastum Part. 1. p. 24. ubi septem ejus Propositiones ex ejusdem scriptis erutas, notatas videbit; quarum sensus est. 1. Ipsum, cum Ario, fingere, Verbum, per quod creata sunt omnia, distinctam à Deo essentiam habere, creatum esse, corruptioni, & Dei judicio obnoxium. 2. Plures esse inferioris ordinis Deos, quorum ministerio Deus Mundum confecit. 3. Negat, Christum esse Creatorem; sed tantùm, ait, ei munus impertitum varias essentias, in Chaos confusas, aliorum etiam sociorum ope, separandi. 4. Asserit, Adam imperfectum creatum fuisse; perfectum autem factum post pomum, diaboli suasionem, comestum: in quod pomum diabolus omnem suam scientiam secum intruserat: ac proinde Adam naturæ lumen, nisi post ejectionem à Paradiso

difo illo, non habuisse. 5. Homo, ait, omni nascitur libertate privatus; hinc ad mala, & crimina ab inferioribus diis, de quibus modò dictum, impellitur. 6. Etsi *Pater omne iudicium dedit Filio*, sicut hic, & ubique sæpissime Sacra Biblia clamitant; ipse tamen omne penitus iudicium Christo adimit. 7. Denique & omnium horrendissima propositione asserit, Christum etiam peccatorem (horret calamus vel scribere) extitisse, ac proinde Dei iudicium de eo expectandum. O præclarum Theologum, & ad nostra usque secula inauditum! O novum Theosophiæ portentum! O excelsum, ac mirabilem Religionis institutorem! Institutorem dixi, nam omnes æque religiones ut errorum plenas damnans, ac Romanum Pontificem, Lutherumque castigandum à se promittens, non secus, ac de Galeno, & Hippocrate fecerat, novam omnino religionem se conditurum dicebat. Non negaverim tamen, ipsum quandoque Catholicorum more in suis scriptis locutum esse. Levis etiam fuit ad puerilia, inania, absurda, & ἀλογα quædam credendum, & docendum; asserens, præter alia multa, sanguinem femineæ menstruum omnium esse venenorum potentissimum: ex partibus feminei seminis cum eodem commistis pulices, araneos, erucas, scarabeos, & id genus insecta oriri; & his similia fatua, & infulsa. Quid autem dicam de artificiali illo homuncione, quem ipse ex spermate virili, in vase vitreo hermetice obsignato incluso, & sub fimo equino ad certum tempus detento, donec in vase contenta materies moveri incipiat formasse, jaçtabat? quem homuncionem per 40. hebdomadas Arcano sanguinis, quod vocat, nutrire oportet.

Citatus Joh. Oporinus, & ex eo Gesnerus in Tract. de Chirurgiæ Script. asserunt, Paracelsum in ensis capulo suum Azoth, familiarem scil. dæmonem alligatum habuisse. Præcipuus sui animi conatus fuit Hippocraticam, Galenicam, omnemque Medicinæ scientiam funditus evertere, ac suam unicam stabilire, quam cujuslibet sectæ Medici in posterum sequerentur, atque ipsum ut Medicinæ Monarcham venerarentur. Hinc Hippocratem, Galenum, Avicennam, omnesque sui, ac præteriti ævi Medicos ad contemptum *Humoristas* appellabat, quod morborum omnium causas in humoribus quærerent. Verùm qui omnes æque despexerat, omnibus quoque despectus erat, ab iis non Theophrastus, sed Cacophrastus vocatus. Tandem prætermittis aliis ad ejus vitam spectantibus, atque ægrotis, ab eo mira arte, ut ajunt, sanitati redditis; ad ejus mortem considerandam veniamus, quam nemo quidem est, qui non admiretur, quod scilicet A. C. 1541. ætatis verò circiter 48. tam cito obierit, qui aliis tam longævam promittebat vitam. Crollius tamen, ut magistri honorem tueretur, ait, ipsum veneno ab ejus famæ hostibus sublatum. Guil. Bovil. in Icon. Illustr. Vir. Paracelsum in hoc commendat, quod animi integritate, & pietate in egenos nulli secundus fuerit.

Ad Paracelsi Doctrinam quod attinet, jam supra diximus, eum tria hæc in Chymia statuisse Principia, Sal, Sulfur, & Mercurium. Utamque caluit Chymicæ partem, Medicam scil. & Metallurgicam. Lapidem Philosophicum, Aurum artificiale, & his similia Chymica Arcana confecisse dicitur. Miracula, quæ in arte potissimum Chirurgica patrasse asserunt, legitimis, & fide dignis carent testimoniis, ut advertit Libavius, licet ipse quoque Chymicus magni nominis; cujus verba in Hist. Panac. AnnWald. sunt. *Vim universalem quod attinet, ajunt quidem, Paracelsum omnes morbos sanasse Lapidis præsidio. Sed cum nihil demonstrati dicant, ipseque magister plurimos deceperit, nec curaverit, multos interfecerit, aut certe pejus affecerit, nec sibi ipse tussim, & artbritidem, contracturamque adimere potuerit, vanitatis coarguitur assertum.* Aurum nunquam efformasse vel ex eo argui potest, quod

pauper

pauper semper vixerit, & obierit. Unde Carolus Quintus Imp. qui aures ei præbebat, Delirium ipsum vocavit, ex quo ei proposuit ipsum Chymicæ suæ opeditare, ut notat Rapin. Reflex. in Philos. sect. 17. ubi Paracelsum ita perstringit: *Paracelsus, qui Operatoris potius, quam Philosophi characterem præ se ferebat, Raymundo Lullio, & Cardano absurdior est. Sibi enim in animum induxerat Philosophiam novam, novam artem Medicinæ, novamque religionem condere. Impulsu proprio per ridiculam neutralitatem mediatorem se gerens inter Papam, & Lutherum, ut ambos ad axiomata sua sequenda adduceret. Gobory primus ejus in Gallia sectator fuit: Physicus is erat admodum superficialis, sed distillator insignis. Paracelsus profundi erat ingenii: dictionem habet mœstam, & obscuram. Omnia ejus verba totidem erant ænigmata, ejusque sermones mysteria. Rullandus Germanicus Medicus vocum ejus Lexicon contexit, cujus ope ne dum intelligi potest. Paracelsus is fuit, qui Chymiam in Germania restauravit.*

Quamvis difficile nimis sit Paracelsi Systema tum ob ejus affectatam obscuritatem, tum ob ejus frequentem contradictionem, exponere; ipsum tamen quoad fieri poterit brevissime, & veluti per ἀνακεφαλαίωσιν tradam. Et primò voces, quæ ad nostræ mentis cogitata aliis communicanda, & clare ab iis intelligenda, inserviunt, ipse adeò barbaras, à nulla lingua erutas, sed proprio Marte formatas, invenit, ut ad id factas dixeris, quò simplices magis admirarentur, & mysteriorum obscurorum plenas putarent; juxta illud Lucretii lib. 1.

*Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque,
Inversis quæ sub verbis latitantia cernant.*

Tales sunt librorum quorundam tituli, ut *Paramirum; Paragranum*: voces etiam sequentes, *Iliadus*, sive *Iliadum*, *Iliaster*, *Idechtrum*, *Domor Cagastum*, *Pagoycum*, *Relolleus*, *Cberionius*, *Evester*, *Tlech*, *Trarames*, *Turban*, *Leffas*, *Siannar*, *Perenda*, *Zenda*, *Dualech*, &c. quæ nec etiam ope Lexici à Rullando, ut diximus, exarati, intelligi possunt. Vocibus etiam utitur vulgaris, & notæ significationis, sed aliam omnino à propria ipsis tribuens, ut *Anatomia*, *Astrum*, *Manna*, *Essentia*, *Ens*, &c. Duplex homini corpus tribuit, *Physicum* unum, & *Elementare*, quod videtur, & tangitur; *Cœleste* alterum, & invisibile, quod ex astris originem trahit: quod Cœleste hominis corpus quidam ex ejus affectis hominis *Genium*, *Larem Domesticum*, & *Spiritum Familiarem* appellant.

Primam Medicorum curam ponit Paracelsus in perfecta cognitione analogiæ, sive relationis, quæ est inter Μακροκοσμον, *Magnum* scilicet *Mundum*, & Μικροκοσμον, *Mundum Parvum*, sive corpus humanum. In hoc enim ipse motus astrorum, naturam terræ, aquæ, & aëris, omnia vegetabilia, mineralia, constellationes, & quatuor ventos, sicut in Macrocosmo agnoscit; *Polos* insuper, & *Axem Polarem*, *lineam Meridianam*, *Ortum*, *Occasum*, &c. Ab ipso, ejusque sectatoribus connexio inter principes corporis humani partes, & planetas statuitur, ut inter *Cor*, & *Solem*; *Cerebrum*, & *Lunam*; *Lienem*, & *Saturnum*; *Pulmones*, & *Mercurium*; *Renes*, *Testesque*, & *Venerem*; *Hepar*, & *Jovem*; *Bilem*, & *Martem*: non secus ac septem sunt metalla septem planetis correspondentia. In corpore itaque humano Cœli, Terræ, atque omnium animalium proprietates esse affirmat: hinc relatio inter morbos, & plantas; sic ab *Acoro*, *Helleboro*, &c. morbum *Acorinum*, *Helleborinum*, &c. vocat.

Quam Aristoteles *Materiam Primam*, ipse *Magnum Mysterium* appellat, atque hoc nihil visibile, nihil sensibile, nihil perceptibile, non formas, non colores, n

colores, nec elementare quid habet: cujus sphaera Cœlorum, universique sphaeræ æquivalet: à quo elementa, & res omnes creatæ tanquam à matre ortum duxerunt; non tamen successive, sed unica creatione ex ipso substantia, forma, materies, &c. provenerunt. In eo, tanquam in tenebris, sive, ut ipse vocat, Abyſſo, animalium, vegetabilium, mineralium semina, sicut & alia, prius sepulta, per Generationem educta sunt. Ex hac Paracelsi doctrina educunt ejus sectatores, Generationem non esse aliud, nisi educationem seminum, sive singulorum individuorum, ex Abyſſo, sive Tenebris, in quibus continebantur, in lucem; itaut ex invisibilibus, ut semper extiterant, visibilia fiant; atque in eandem Abyſſum, unde venerant, per eam, quam corruptionem vocamus, revertantur, postquam munera, ad quæ determinata sunt, impleverint. Inde eruitur ab iis, nihil, quod gigni videtur, proprie novum esse, etiamsi tale videatur, sed omnia semper esse eadem, modò tamen visibilia, modò invisibilia: idem dicas de corruptione. Hoc autem etiam Hippocratis autoritate confirmant, qui lib. 1. de Diæta ait: *Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit, quod prius non erat - - - Et neque animal mori possibile est non cum omnibus (unde enim moriatur?) neque quod non est, generari, &c.* Cui addi posset Scripturæ illud: *Nil sub sole novum.* Rerum tamen semina non sola propria virtute ex loco originis, sive ex Abyſſo prodeunt, sed auxilio etiam cœlestis potentia, sive virtutis ipsis insita, quam Paracelsus *Archeum* vocat, ejusque Commentatores *Spiritum Architectum* vertunt: quod Archeum puras partes ab impuris separans in mistis, cunctas propriis in locis segregat, & disponit, etiam in Elementis.

Elementa autem non agnoscit cum Aristotele Terram, Aquam, Aërem, & Ignem, quæ corpora vocat inefficacia, impotentia, &, ut suis verbis utar, *relollaceas, & passivas qualitates possidentia.* Eorum autem loco hæc tria ponit rerum omnium Principia, *Sal, Sulfur, & Mercurium*, ut diximus, quas *Primas* etiam *Substantias* vocat: quæ rerum Principia non ipse, sed Isaac Hollandus, & Basiliius Valentinus primi invenisse dicuntur. Præter hæc Principia, in omnibus naturalibus corporibus, quæ crescunt, & quæ vitam habent, agnoscit Paracelsus materiam quandam cœlestem, subtilissimam, ab omni impuritate, & mortalitate purgatam, quam *Quintam-Essentiam* vocat, de qua lib. 4. Archidoxorum sic ait: *Quinta-Essentia non est quinta essentia ultra elementa, quia est elementum.* Quam etiam appellat *Tincturam, Lapidem Philosophorum, Florem, Solem, Cœlum, Spiritum Æthereum, &c.* atque morborum omnium Panaceam, seu Medicinam Universalem, Ignem invisibilem, cunctas infirmitates devorantem, lib. de Tinctura Physicorum, esse asserit. Præter Medicinam hanc Universalem agnoscit etiam particularia medicamenta, eaque infallibilia. Si autem ipsum interrogas, cur Universale, & particularia sua remedia, quæ sunt infallibilia, non omnes sanent ægrotos, hominesque sic reddant immortales? respondet, contra destinatum hominis fatum nullam valere virtutem: unde nil mirum, si sua *Magnalia Dei* (sic sua vocat quandoque remedia) contra fatum cuique statutum vim nullam habeant. Quid verò per *Iliastrum, & Cogastrum*, quæ duo sunt præcipua morborum genera, intelligat: Quomodo morbi omnes à quinque causis, quas *Entia* appellat, producantur, quæ sunt *Ens Dei*, quum scilicet immediate à Deo immittuntur; *Ens Astrale*, quum ab astris proveniunt; *Ens Naturale*, quum naturæ vitio oriuntur; *Ens Spirituale*, sive *Pagocum*, cui morbi ab imaginatione tum nostra, tum aliena in nos agente, referuntur, cujus generis sunt morbi à maleficio, & fascino producti; & *Ens Veneni*, quod venena omnia tum naturalia, tum artificialia comprehendit; videre est apud ipsum in lib. *Paramirum de quinque Entibus morborum.*

A generalibus autem morborum causis ad particulares descendens Paracelsus, ait, omnes morbos à Sale, Sulfure, & Mercurio oriri, quas tres primas substantias appellat, ut diximus, & ex quibus hominis corpus componi asserit. In his igitur, non in humoribus, eorumque qualitatibus, ut hactenus Medici fecerunt, particulares morborum causas inquirendas statuit Paracelsus: qui vero morbi à Sale, qui à Sulfure, & qui à Mercurio producantur, vide apud ipsum *Paracelsi lib. 1. De Origine morborum ex tribus primis substantiis*. Alios præterea morbos à *Tartaro* ortum ducere asserit, ut renum, & vesicæ calculum, &c. quos *Morbos Tartareos* appellat cap. 1. *De Morbis Tartareis. De Morborum signis. De Urinis, &c.* consule ejus Opera.

Ut autem à plantis, aliisque rebus naturalibus remedia particularia educantur, inspicere præcipit earum *Characteres*, seu *Signaturas* quasdam, quæ singularum virtutem præcipuis corporis partibus, earumque morbis aptam ostendunt. Sic Euphrasia ex. gr. oculorum morbis medetur, quia in interna hujus floris parte nota nigra observatur, oculi pupillam repræsentans. Vide *Crollium*, & *Ammannum de Characteribus, & Signaturis plantarum*, aliosque. *Libavius* tamen, etsi excellens Chymicus, nullam inter fortuitam hanc rerum naturalium signaturam, & earum virtutem analogiam agnoscit necessariam. Denique non tantum animalibus, vegetabilibus, & mineralibus Medicam virtutem tribuit Paracelsus; sed etiam *Verbis, & Characteribus*, quibus desperati quandoque morbi, nec vel ipso Auro potabili, *Quintæ-essentiæ*, aut *Antimonio* cedentes, sanari possunt. Qua de re sic ipse *Philosophiæ Sagacis lib. 1. Natura vires suas in verba imponit, sicut in herbas, & radices, ita in Gemas, &c.* Et paulò post: *Imagines, & Characteres sunt pixides, in quibus Magus siderum vires asservat*. Contra Paracelsum scripserunt plures, præcipue *Thomas Erastus*, & *Guntherius*, qui ejus *Philosophiam, & Medicinam* funditus evertere conati sunt. Vide *Danielem le Clerc in Continuat. Hist. Medic. ad finem*; unde potiora hæc excerpta notantur. De Paracelso plura qui cupit, adeat, præter dictos, *Melch. Adam in Vit. Germ. Medic. Vossium de Phil. cap. 9. Quenstedt de Patr. doct. Laurentium Crassum Elog. d'Uomini Letter. &c.*

Paracelsi Scripta quis numeret? De iis ita *Konigius*: *Scriptit libros 230. in Philosophia, & 46. in Medicina. Scripta ejus tanti aestimata sunt, ut à nonnullis in Latinum, Italicum, & Gallicum sermonem translata fuerint. Ramdus etiam Medicos libros Græce convertit*. *Libavius* tamen Tom. 2. p. 103. & alibi passim, eum furti scriptorum, & arcanorum arguit. Idem sentit *Thomasius de Plag. Literar. sect. 514*. ubi ex *Conrigio* notat, Paracelsum à *Monachi* cujusdam libro, *Ulmæ* ante 200. fere annos scripto, ut modò dictum, & à *Basilii Valentini* scriptis multa, suppresso nomine, transtulisse. Negat *Sennertus*, omnesque Paracelsi sectatores, qui ab hoc Chymicorum principe *Paracelsistæ* vocati sunt. Paracelsi Opera omnia *Philosophiam, & Medicinam* tractantia, Tomis 12. comprehensa, diligentissime enumerat *Vander Linden de Script. Med. & Gesnerus in Bibliotheca*; quos vide.

De iis non una est autorum censura. Laudat *Melchior Adam in Vita*; *Petrus Ramus Orat. de Basilea*, ubi: - - - qui in intima naturæ viscera sic penitus introierit - - - ut cum *Theophrasto* nata primum *Medicina, perfectaque videatur*. *Joseph. Quercetanus* in lib. de Ortu, & Causis Metallorum; & *Erasmus* in Epistolis. *Buddeus* quoque loco sæpius citato p. 82. *Chemicorum sectam restauravit, novumque ei lumen addidit Phil. Theophr. Paracelsus, ab Hobenheim, dictus etiam Bombastus, gente vel Suevus, vel Helvetius. Per Chemicam artem miranda patravit - - - Cabbalistica quædam arcana cum Astro-*

Astrologicis decretis, & magia naturali conjungens, novum prorsus excogitavit Philosophiæ genus, quod Mysticum, & Theosophicum appellare solent. Ubi inter Paracelsi sectatores, præter Fratres Rosæ-Crucis, & Robertum Fluddum, de quibus infra, numerantur etiam Valentinus Weiselius cum suis sectatoribus: Jacobus Bohmius: Quirinus Kuhlmannus, ejusque discipuli. Contra verò reprehendit Vossius de Philosoph. p. 71. 72. ubi: Negabat Paracelsus, primos parentes ante lapsum habuisse partes generationi hominis necessarias: postea accessisse, ut strumam gutturi. Aiebat, Christum non ex Adamo ortum, sed Abrahamo, cui facta Promissio. De Resurrectione etiam mirifica somniabat. Negabat enim, sibi placere rationem, quam primi Ecclesiarum Reformatores hætenus iniissent; sane felicius se fuisse Papam de solio detrusurum. Hic qui longævam aliis vitam, &c. Guido Patin. Selectioribus Epistolis Epist. 58. Gall. Audivisti ne Paracelsum Geneva imprimi quatuor Voluminibus folio? Proh pudor! quod tam ineptus liber præla, & operarios inveniat, quorum est inopia ad aliquid optimi faciendum. Mallem Alcoranum impressum fuisse, qui non est æque periculosus, & qui saltem homines non æque seduceret. Animi tamen integritate, & pietate in egenos nulli secundus dicitur à Guil. Bovil. in Prompt. Icon. Illustr. Vir. Notandum denique hic, Paracelsum inter Hæreticos primæ classis in Indice Romano recenseri.

Sed antequam ad alios transeamus, memorandi hic sunt sequentes, & ipsi inter Chymicos celeberrimi. JOHANNES DE RUPESCISSA, Ordinis Fratrum Minorum, de quo ita Gesnerus in Biblioth. *Scriptis in vinculis ad quendam Cardinalem. Revelationes suas lib. 1. Super sententias quoque lib. 4. Scripsit etiam Oraculum Cyrilli lib. 1. In vinculis diu apud suos mansit, quod prædixerit Ecclesiæ desolationem futuram. Ex Albienfi Bibliotheca. Johannis de Rupescissa De consideratione Quintæ essentiæ rerum omnium, opus egregium duobus libris distinctum, editum est Basil. 1561. Vixit circa an. 1240. Inter ejus Opera recensentur etiam à Vander Linden de Script. Med. Liber Lucis, & Liber de Confectione veri Lapidis Philosophorum.*

ROGERUS BACON, sive RUGERUS BAKON, Anglus (quem supra p. 312. inter Peripateticos retulimus) Minoritani olim nominis, Doctor Oxoniensis. Chymicis etiam adnumerandus, Chymicæ enim fuit quammaxime studiosus, Scripsit hic, referente Gesnero in Bibliotheca, *De Necromanticis Imaginibus lib. 1. Prognostica ex siderum cursu lib. 1. Regimina Cælestium lib. 1. De Excantationibus lib. 1. De Occultis naturæ operibus lib. 1. De vera Astronomia lib. 1. De Perspectiva lib. 1. De rerum mirabilibus lib. 1. De retardatione accidentium lib. 1. Super Sententias lib. 4. In Philosophiam Naturalem lib. 8. In Moralem lib. 10. Speculum Alchymicæ lib. 1. De Alchymistarum artibus lib. 1. De Grammatica Græca lib. 1. De situ Palæstinæ lib. 1. De judiciis Astrologiæ lib. 1. Sententias experimentales lib. 1. De speculi facultate lib. 1. Compendium studii Theologici lib. 1. De mirabili potestate artis, & naturæ lib. 1. ubi de Philosophorum Lapide.*

JOH. ISAACUS HOLLANDUS; cujus sunt Opera *Mineralia, sive De Lapide Philosophico. De tribus ordinibus Elixiris; & Lapidis Theoria. Opus Saturni. De quo vide etiam Theatrum Chymicum.*

BASILIVS VALENTINUS, Monachus Benedictinus, gente Germanus, qui circa finem sec. 15. vixit, post scil. Rog. Baconem, & Joh. Isaac. Hollandum. Ejus scripta sunt: *Azoth, sive Aureliæ occultæ partes duorum Philosophorum Materiam Primam, & decantatum illum Lapidem Philosophorum filiis Hermetis solide, perspicue, & dilucide explicantes per Ænigma Philosophicum, Colloquium Parabolicum, Tabulam Smaragdinam Hermetis, Symbola,*

Parabolas, & Figuras Saturni: Opus præclarum ad utrumque, quod pro Testamento dedit filio suo adoptivo. Practica cum 12. Clavibus, & Appendice. De Microcosmo, deque magno Mundi mysterio, & Medicina hominis. Apocalypsis Chymica. Currus Triumphalis Antimonii. Tractatus Chymico-Philosophicus de rebus supernaturalibus, & naturalibus Metallorum, & Mineralium.

GEORGIUS RIPLAJUS

SIve Riplay, Anglus, Ordinis S. Augustini ex eorum numero, qui Canonici Regulares dicuntur, in Mathesi, Poësi, & ingenuis artibus eruditus, ad Philosophiæ Naturalis secreta addiscenda Galliam, Germaniam, & Italiam lustravit. Ab Innocentio VIII. jus ei datum Carmelitarum Ordinem ingrediendi. Chymicorum Philosophiæ omnium maxime fuit addictus; ut ejus Opera testantur, quæ sunt: *Opera omnia Chymica*; in quorum I. continetur Liber 12. portarum, idest, 1. Calcinatio. 2. Solutio. 3. Separatio. 4. Conjunctio. 5. Putrefactio. 6. Congelatio. 7. Cibatio. 8. Sublimatio. 9. Fermentatio. 10. Exaltatio. 11. Multiplicatio. 12. Projectio. In II. Liber de Mercurio, & Lapide Philosophico. In III. Medulla Philosophiæ Chymicæ. In IV. Philoricium Alchymistarum. In V. Clavis Auræ Postæ. In VI. Pupilla Alchymicæ. In VII. Terra Terræ Philosophicæ. In VIII. Concordantia Raymundi, & Ovidonis. In IX. Viaticum, seu Varia Practica. In X. Accurtationes, & Practicæ Raymundinæ. In XI. Cantilena. In XII. Epistola ad Regem Eduardum. Scripsit etiam *De Magia naturali. De rerum temperaturis*, atque alia, quæ videre est apud Gesn. in Bibl. & Pitt. de Illust. Angl. Script. Obiit circa an. 1490.

ROCHUS BAILLIUS.

Medicus, & Philosophus Chymicus, in humanioribus etiam literis eruditus, sec. 16. natus est Falæzæ, sive Falleziæ, quod Normanniæ in Gallia oppidum est; notus etiam sub nomine *Dominus de la Riviere*. Medicorum, præcipue Parisiensium sibi odium concitavit, quod Medicinam secundum Paracelsi principia faceret. Quare præter *Tractatum de Peste* an. 1580. atque alia, *Demosterion*, idest, 300. *Aphorismos*, continentem summam doctrinæ Paracelsicæ; & *Responsionem ad Quæstiones propositas à Medicis Parisiensibus*, publicavit.

JOH. - AURELIUS AUGURELLUS

Philosophus, Alchymista, & Poëta sui ævi celeberrimus, patria Ariminensis, initio sec. 16. floruit, & præter Lyricos versus, & sermones, heroico versu scripsit *Chrysopeam* lib. 3. quod opus præ aliis optimum, & *Geronticon* lib. 1. *Quamvis Principum*, Regumque limina frequentaret, pauper tamen, Chymicorum more, & vixit, & obiit Tarvisii, sive Taurisii, quæ Marchiæ Tarvisinæ urbs est, an. æt. 83. Ejus verò fautores hanc paupertatem non veram, sed fictam, & affectatam asserunt, ut arcanorum suorum invidos, & invidiam effugeret. Vide Jovium in Elog. Crassum de Poët. Gr. Jul. Cæs. Scalig. in *Hypercrit.* Baillet *Jugemens des Sav.* Tom. 7. &c.

HENRICUS-CORNELIUS AGRIPPA.

DE Insigni hoc Chymico, Theologiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, aliarumque liberalium artium cultore, quem P. Jovius ejus cæteroqui non fautor, *Portentosum ingenium* appellat; Lud. Vives *Venerandum Dominum Agrippam*, *literarum, literatorumque omnium miraculum*, & *amorem bonorum*; Jacob. Gohori *inter clarissima sui seculi lumina numerat*; & reliqui sui seculi *Trismegistum* vocant; ita Vander Linden de Script. Med. : Natus ex nobili familia à Nettesheim Colonia Agrippinæ A.C. 1486. Maximiliano I Imp. à Secretis, & Caroli V. Imp. *Consiliarius*, ac *Historiographus*, nec non Reip. Metensis *Syndicus, Advocatus, & Legatus* fuit. Ante autem hos aliquot annos, nempe 1509. Dolæ Burgundiorum in Gymnasio publice cum omnium stupore docuit. *Juris, & Medicinæ Doctoris gradum* tum demum assumpsit, cum jam antea *Equitis Aurati dignitatem* virtute bellica fuisset meritus. *Medicinam* fecit tum in urbe Gebennarum, tum etiam Friburgi Brisgojæ, & in Gallia. *Amicitiam coluit* cum Job. Tritheimio, Abbate Herbipol. & Erasmo Roterodamo. *Magiæ, & Necromantiæ suspectus*, cum appropinquante morte ad penitentiam urgeretur, Cani suo nigro, quem veluti *Cacodæmonem* circumduxisse ferebatur, collare magicis inscriptum notis indignabundus cum his verbis exsolvit: *Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti: nec unquam familiaris ille Canis, ac assiduus itinerum omnium comes, postea conspectus est. Præcipiti enim fuga saltu in Ararim se immerfisse, nec enatasse, ab his, qui vidisse assererent, dicebatur*; uti P. Jovius in *Elog. doctorum Virorum* refert. Sed quod Job. Wierus lib. 2. c. 5. de *Præstig. Dæmon.* merum figmentum esse affirmat. Obiit Gratianopoli in Gallia egestate extrema A.C. 1534. æt. suæ 48. duarum uxorum nobilium maritus, & liberorum aliquot parens. Hornius etiam in *Hist. Phil. Corn. Agrippam Cacodæmoni se mancipasse* affirmare non est veritus.

Inter ejus Opera, quæ 2. Volum. in 8. continentur, sunt: *De Occulta Philosophia*; *Commentaria in Artem brevem Raymundi Lullii*; *De triplici ratione cognoscendi Deum*; *Dehortatio à Theologia Gentili*; *Exposulatio cum Job. Catilineto*; *Epistol. lib. 7. Contra Pestem Antidota securissima*; *De Medicina, &c.* Cit. Wierus asserit, *Tractatum de Cæremoniis Magicis*, qui vulgò Agrippæ tribuitur, ejus non esse. Vide, præter dictos, Melch. Adam Vit. *German. Med. Naudeum* in *Apolog. &c.*

JOH. BAPTISTA VAN HELMONT.

Natus est Bruxellis A.C. 1577. Anno ætatis suæ 17. totum *Philosophiæ cursum* absolvit. Ipse se vocare solitus est *Philosophum per ignem*. Fuit nobilis *Bruxellensis*, & *Toparcha* in Merode, Royenborch, Oorschot, Pellines, &c. Obiit A.C. 1644. ætatis suæ 67. Vander Linden de Script. Med. Et Jonsius de Script. *Hist. Phil. lib. 3. c. 28. 2.* : - - - *Theologus, Medicus, & Philosophus acutissimus*, seculi sui vere *Paracelsus* (uti appellat ipsum excellentissimus Wedelius in quodam programmate) qui præter multos libros doctissimos, quibus secretiori præsertim *Philosophiæ* sua dedit incrementa, &c. Joh. Caramuel Lobkoviz ita de *Helmontio* scripsit: *Helmontius (novi hominem) fuit pius, doctus, ac celeberrimus: Galeni, & Aristotelis juratus hostis; sub quo ægræ non laborabant diu; nam secunda, aut tertia ad summum die carebant vita, aut morbo. Vocabatur præcipue ad illos, qui ab aliis Medicis deserebantur, &c.* Joh. Franc. Buddeus in *Hist. Phil. succincta delineatione p. 83. de Paracelsi secta.*

sectatoribus loquens, de Helmontii Philosophia hæc subdit: *Sed omnium maxime Paracelsicam Philosophiam illustravit, & auxit Job. Bapt. Van Helmont, ejusque filius Franciscus Mercurius, uterque naturæ arcanorum peritissimus. Ille Philosophum per ignem se vocavit, & Paracelsi Philosophiæ, quam sequebatur, ac plurimi faciebat; singulares quasdam suas opiniones adjunxit. Rerum enim omnium Principium Aquam cum Thalete statuit, ac Mentis Involucrum quoddam, animam scilicet caducam, & sensitivam, à lapsu primorum parentum accersitam. Franciscus Mercurius eandem fere secretiorem philosophandi rationem secutus est, & Pythagoream quoque Metempsychosin revocavit. Ob portentosas morborum fere insanabilium curationes ad Sacræ Inquisitionis Tribunal ejus nomen delatum fuit, quod illas supra naturæ vires aliqui factas putabant: sed ab his accusationibus optime se defendens, Hollandiam, quò libertate gauderet, secessit.*

Ejus Opera, volumine 1. in fol. comprehensa, Medica plerumque sunt. Inter Philosophica recenseri possunt: *Causæ, & initia Naturalium: Logica inutilis: Physica Aristotelis, & Galeni ignara: Elementa: Terra: Aqua: Aër: Progymnasmata Meteori: Gas Aquæ: Blas Meteoron: Vacuum Naturæ: Meteorum Anomalum: Terræ Tremor: Complexionum, atque Mistionum Elementarium Figmentum: Astra necessitant, non inclinant, nec significant de Vita, Corpore, & Fortunis nati: Formarum ortus: Magnum oportet: Natura contrariorum nescia: Imago Mentis: Demens Idea: Sedes Animæ: Tractatus de Anima: Distinctio Mentis à sensitiva Anima: De Animæ nostræ Immortalitate: Nexus Sensitivæ, & Mentis, &c.* In Helmontii Opera contra Galenistas exarata dodecacticho lusit Jan. Walhornius; cujus initium:

*Claude Scholas, Galene, tuas: satis occisorum est,
Obe jam satis est, plena sepulcra sonant, &c.*

Ego verò ingenuè quidem fateor, nos multa Helmontio præclara, & efficacia inventa medicamenta debere; ipsum tamen sæpissime verborum novitate, & fictione, vel locutione obscure, ut Chymistarum est, locutum *φανταστικῶς* fuisse. Vide præter Medicos nostri ævi celebriores, Val. Andr. Bibl. Belg. L. Crass. Elog. d'Uom. Lett. &c.

DANIEL SENNERTUS

Natus Uratislaviæ A. C. 1572. patre Nicolao Sennerto, calceario, & cive. Wittebergæ 1598. Philosophiæ Magister, & ibidem 1601. Medicinæ Doctor, pauloque post, anno nempe 1602. ejusdem Professor Publ. nec non tandem etiam Electoris Saxon. Archiater constitutus est. Obiit Wittebergæ 1637. æt. 65. Vander Linden de Script. Med. Hic Chymicorum omnium industriam superavit, primusque Chymix studium in Wittebergæ Universitatem invexit. Quamvis enim Peripateticus esset, Chymix tamen fuit studiosissimus, per quam, & Medicinæ praxin magnam sibi gloriam comparavit. Enim verò non sicut reliqui Chymici bellum Aristoteli, & Galeno indixit; sed potius Chymicos & Aristotelicos invicem conciliare conatus est libro illo *De Chymicorum cum Aristotelicis, & Galenicis Consensu, & Dissensu*. Sennertus brutorum animam non corpoream, sed spiritualem esse, affirmabat, & docebat: unde ejus adversarii, quorum maximus Joh. Freitagius, eum impietatis accusabant, asserentes, ex hac sententia necessario deduci, brutorum animam esse immortalem. Quibus Sennertus satis facere putavit dicendo, brutorum animam incorpoream quidem esse, unà tamen cum corpore perire; hominis verò animam speciali Dei dono immortalitate donatam. Sed quàm inepta hæc responsio sit, vel pueri dicant. Omnis enim

enim spiritus ex sui natura immortalis est; tum quia nullum agens (præter Deum, à quo ex nihilo creatus, in nihilum redigi potest, modò velit, quod nunquam fiet, cum Deus sit immutabilis) est, à quo destruat; contra verò quidquid existit, quantum in se est, semper in eodem statu permanere contendit. Tandem, cum partes, quibus componatur, non habeat, omnis dissolutionis, & mortis expers erit. De Sennerto ita ex Recentioribus Joh. Franc. Buddeus in Hist. Philos. succincta delineatione pag. 80. *Dum ita in Italia, & Anglia restaurandæ, atque perficiendæ Philosophiæ Naturali incumbitur, in Germania, & quidem Wittebergæ Daniel Sennertus manum eidem operi admovit. Chemicam enim artem cum Medica conjunxit, hostem ideo acerrimum expertus Job. Freitagium, Medicum Groningensem, qui contra Sectam Sennerto Paracelsicam strenue declamavit. Nota cum primis ejus sententia, quod seminibus omnibus insit anima, quæ cum iis propagetur, & corpus denique, organaque ipsa sibi efformet.*

Inter Sennerti Sectatores præcipuus ab eodem recensetur Job. Sperlingius, de quo ibidem sic: *Sennertum secutus est, & strenue defendit Job. Sperlingius, cui, qui accuratius Aristotelici videri volebant, se acriter opposuerunt, cum primis Job. Zeisoldus. Et Sperlingius quidem Commenta Aristotelico-Scholastica de Materia Prima, de Privatione, seu tertio rerum naturalium Principio, de Productione Formæ ex potentia Materiæ, & his similia acriter exagitavit: cum primis autem de Origine Animæ Humanæ disputatum, Sperlingio quidem, & affectis ejus asserentibus, propagari eam per traducem, Aristotelicis creationem ejus defendentibus.*

Inter Sennerti Opera, quæ postremo edita sunt Lugduni 1676. sex Tomis in folio, præter dictum opus, Chymica, & Medica multa, sunt ex Philosophicis: *Epitome Scientiæ Naturalis: Hypomnemata Physica: De Origine animarum in brutis: Auctarium Epitomes Physicæ, &c.* Scripsit etiam *De bene vivendi, beatæque moriendi ratione.* Vide ejus Vitam suis Operibus appositam; & Testimonia clarissimorum Virorum de eo ibidem; Morery, Bayle, &c.

F R A T R E S R O S E Æ C R U C I S

Dicti etiam *Illuminati, Immortales, Invisibiles*, quorum Societas in Germania initio sec. 17. primum visa est; talem sui instituti originem jaçant. A. C. 1378. nobilis quidam Germanus, cujus nomen non nisi per has literas A. C. cognoscitur, in Monasterio quodam degens, Græcam, Latinamque linguam didicit: deinde in Palæstinam secedens, in Damasci urbe ægrotavit, ubi Arabas Sapientes loquentes audiens, ipsos postea in propria Academia, in Dalmati Regno posita, audire, ac consulere voluit: qui & ipsum proprio nomine salutarunt, & secretorum suorum, omnisque scientiæ participem effecerunt. Hic postquam diu peregre fuit, tandem in patriam reversus est; ubi aliquot sibi adfocavit, quos suæ scientiæ heredes fecit, & ad plures abiit an. 1484. Hæc Societas successores habuit usque ad an. 1604. cum eorum quidam sepulcrum invenit ejus, qui eam Societatem adinvenisse dicebatur, variis ornatum characteribus, signis, & inscriptionibus, præcipue verò his literis A. C. R. C. librum item pergamena charta confectum, & aureis conscriptum literis cum elogio præsumti eorum Societatis Fundatoris. Hæc deinde Societas (quæ reapse non nisi Empiricorum Medicorum Secta est) novos Fratres habuit, qui cum in publicum prodire non auderent, *Invisibiles* dicti sunt. Ex hac eadem Secta orti sunt, qui in Hispania *Illuminati* vocabantur: omnes tamen æque Phanatici erroris damnati sunt. Anno 1615. Joh. Bringeretus librum Germanico idiomate edidit, in quo *Tractatum* alteri titulus erat: *Declaratio, & Confessio*

fessio Fidei Fratrum Rosæ Crucis in Germania. Qui liber Regibus, Principibus, ac Literatis dicatus erat. Illuminati Bibliothecam Ptolemæi Philadelphi, Academiam Platonis, Lyceum, & his similia se esse jactabant, & altissima multa sibi tribuebant, quorum vel illud minimum, cunctis Mundi linguis loqui posse. Inde an. 1622. chartulam, ridiculos hos sensus continentem, quæ vel ipsi Heraclito risum extorqueret, pluribus in locis affigi curarunt; in qua sic: *Nos Deputati nostri Collegii principalis Fratrum Rosæ Crucis visibiles, & invisibiles hujus urbis incolæ, gratiâ Omnipotentis, in quo justorum cor versatur, sine libris, & signis docemus, & cujuscumque loci, ubi esse volumus, linguis loquimur, ut homines nobis similes à mortis errore abducamus.* Sed jam multis ab hinc annis ab hominum conspectu hi phanatici evanuerunt; quidquid sentiat Alchymista ille Germanus, autor libri, cui titulus: *De volucris arborea*; atque alter libri autor, qui *De Philosophia pura* inscribitur.

His de Fratrum Rosæ Crucis Origine, & Progressu (fabulosa licet putentur omnia) adnotatis, pauca de eorum moribus, & doctrina delibemus. Statim ac in Societatem erant admissi, fidem servare, secretum tegere, ac Societatis leges tenere, ipsis imperabatur. Non nisi per ænigmata scribebant; ac disciplinas omnes, Medicinam præcipue stabilire satagebant, quam eousque ignoratam affirmabant. Arcana multa se possidere dicebant, quorum vel minimum esset Lapis Philosophicus. Denique omnes Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum, & Indorum Philosophorum scientias ipsos tenere, ac docere jactabant. Vide Morery in Lex. M. Hist. Naudeum; Spondum A. C. 1623. Gautier Chron. Merc. Gall. Tom. 9. &c.

Contra Fratres Rosæ Crucis *Lauream* Philosophicam scripsit Olaus Wormius, Medicus, & Professor Hafniensis. Pro ipsis tamen fuit Michaël Mejerus, doctissimus Holsatus, qui *Librum Apologeticum* edidit, in quo eorum originem, historiam, & secretiora collegia exposuit. Robertus Fluddus, qui *Apologiam* pro iis composuit, ut mox in Fluddo. Alii denique plures, quos enumerat Lippenius in Bibl. Philos. p. 1338.

ROBERTUS FLUDD

Aliàs *Fludus, Fluddus, & de Fluctibus* appellatus, Natus est in Anglia ex antiqua, & nobili prosapia: in juventute Armigeri dignitatem in bello meruit: tum demum arcana nature penitissime rimari, & Medicinæ operam dare cœpit, in qua etiam summos honoris gradus assumpsit, adeptus dignitatem Doctoris Academiæ Oxoniensis. Vander Lind. de Script. Med. Jonsius de Script. Hist. Phil. 1. 3. c. 32. 1. Caroli I. Regis Armiger, & Medicus fuit Robertus Fludus, sive Fluddus, aliàs de Fluctibus, Philosophiæ, Chymicæ, & Medicinæ laude ornatus, qui natus 1606. post multos editos in iis studiis libros, Londini mortalitatem exiit an. 1638. Vigebat tum in Anglia Fratrum Rosæ Crucis ordo, qui omnia lumini interno adscribebat, cujus patrocinium suscipiebat, edens pro Fraternitate Rosæ Crucis *Apologiam*, quæ seorsim quoque Leyde prodiit. Varia item Veterum Hebræorum placita naturalia, & physica nobis exposuit in *Philosophia sua Mosaica Naturali*, & passim in suis operibus. In his simul de Vita propria varia jucunda, & lectu digna consignavit. Opiniones Fluddi, &c.

Scripsit, præter modò dictas *Apologiam*, & *Philosophiam Mosaicam*, alia multa ad Chymiam, Medicinam, Geomantiam, Cabbalam, & Musicam spectantia: in quibus, Alchymistarum more, obscure, ænigmatice, phanatrice locutus est. Quæ autorum fere omnium criticorum censura est; præcipue Abbatis Bordelonii in sua Hist. Critica p. 186.

Verùm

Verùm in re tam vasta, cujus nulli limites, quid faciam? Ad stomachum ne usque referam innumeros pene Chymicos, plerumque phanaticos? Sed hoc nec necessarium, nec utile duxi, cum omnes fere coctam crambem recoxerint, ut in proverbio est: præterquamquod de his perfectum opus complere, prorsus esset impossibile; de solo enim Lapide Philosophico in variis Mundi locis, & ætatibus autores plusquam 4000. vel potius 5000. scripserunt: quorum præcipui Hermes, sive Mercurius Trismegistus, eorum Caput, & Pater, Calid, Artepbius, qui plus 1000. annis vixisse gloriabatur, Morienus Romanus, Cosmopolita, cujus est *Novum Lumen Chymicum*, Comes Trevisanus, Philalesbes, atque alii, qui in Theatro Chymico continentur.

Quare prætermittis etiam Job. Augustino Pantbeo, Veneto; utroque Martino Rulando, Patre scilicet & Filio; Roberto Vallensa, qui *De Veritate, & Antiquitate Artis Chemicæ* scripsit; Olao Borrichio, qui *de Ortu, & Progressu Chymicæ* tractavit; Petro Poiret, de quo ita Buddeus loc. sæpius cit. pag. 83. *Mysticis hisce Philosophis addendus est Petrus Poiret, qui ut Trinitatis clarissimam imaginem in hominis anima querit, ita non aliam ad sapientiam viam, quam divinam illuminationem agnoscit; & aliis hujus notæ viris, quorum Opera partim in Theatro Chymico contenta, partim seorsim edita leguntur; hoc de Chymicis caput (in quo generalia ad Chymiam spectantia, & Chymicorum doctrinam in Paracelso adnotasse satis erit) claudat doctus quidem, sed impius, & irreligiosus ille*

JORDANUS BRUNUS

Natus Nolæ, quæ celebris, & antiquissima nostri Regni Neapolitani urbs est. Magnis præclari ingenii sui dotibus non usus est, sed abusus. Nondum enim Aristotelis Philosophiam eo tempore, quo illam vel leviter lædere piaculum erat, insectatus est; sed potiores, ac sanctiores Catholicæ Fidei veritates exagitavit, & oppugnavit. Quare Italiâ extorris factus, regionem, ubi impia quæque loquendi libertas esset, sibi quæsit. Post Germaniæ, Galliæque peregrinationem, in Italiam reversus, ibi, ut fertur, crematus, debitas impietatis suæ pœnas luit an. 1600. Quod ejus doctrinam spectat, à quibusdam Lullii sectator, ac proinde Chymicus, dicitur; ab aliis Epicureus creditur. Sic enim Buddeus l.c. p. 77. de Lullio loquens ait: *Inter ejus sectatores à quibusdam numeratur Jordanus Brunus Nolanus; Epicureis ab aliis addicitur ob Mundorum multitudinem ab eo assertam.*

Sunt inter autores optimæ notæ, qui asserunt Renatum des Cartes quasdam suarum idearum à Bruno desumisse; potissimum verò doctrinam de Vorticibus. Unde de eo in Act. Erud. Lips. mens. Jun. 1682. p. 187. - - - - - Notat enim solenne ipsi fuisse præterire nomina autorum, & exemplum offert *Mundanorum Vorticum*, ad quos Jordanus Brunus, & Job. Keplerus ita digittum intenderint, ut tantum istud vocabulum ipsis defuisse videatur. Ita igitur Bayle in Lex. Hist. Crit. verbo Brunus notat ex Mr. Leibnitz, Cartesium à Bruno, & Keplero doctrinam de Vorticibus, suppresso nomine desumisse. Quod confirmat Huet. Cens. Philos. Cartes. c. 8. p. 215. ubi: *Exstitit inter novitios Philosophos Jordanus quidam Brunus Nolanus, quem Cartesianæ doctrinæ antesignanum jure dicas, adeo accurate omnem propemodum ejus compositionem præsignavit in eo libro, quem de Immenso, & Innumerabilibus inscripsit.*

Scripsit plura, etiam ad Philosophiam non spectantia. Philosophicorum Operum tituli sunt: *De Specierum scrutinio, & Lampade combinatoria Raymundi*

di Lullii . De Monade, Numero, & Figura : item de Innumerabili, Immenso, &c. De Imaginum, Signorum, & Idearum compositione ad omnia inventionum, dispositionum, & memoriæ genera lib. 3. De Umbris Idearum. Cantus Circeus ad memoriæ praxin ordinatus, quam ipse Judiciariam appellat. De Compensiosa Architectura, & complemento Artis Lullii. Artificium perorandi. Parisiis degens Comœdiam Italico idiomate scripsit, cui titulus: *Il Candelajo*. Dicitur voluit *L'Academico di nulla Academia*, aliter *Il Fastiditi*. Vide cit. autores.

C A P U T X.

Philosophi Mathematici.

QUONIAM Practicæ Philosophiæ partibus Mathesin supra adnumeravimus; Historiæ nostræ ordo, & ætas postulat, ut antequam ad alios Philosophos nobis proximiores deveniamus, de præcipuis tantum (ut hujus Historiæ finem tandem aliquando videamus) Philosophis, qui peculiari studio Mathesi addicti, illam instaurarunt, & auxerunt, verba faciamus. Quare silentio præteritis ODINGTONO, qui sec. 13. floruit; CLIMITONO, LANGLEY, qui sec. 14. vixit; memorandus cum primis nobis est magnus ille neotericorum Astronomorum parens, & Astronomiæ instaurator

NICOLAUS COPERNICUS

MATHematicus, Philosophus, Medicus, ac tandem Warmiæ Canonicus, vir undique doctissimus, & sive ingenium spectemus, sive felicitatem, plane inter summos mortalium numerandus, qui *Torunum in Borussia patriam nactus an. 1473. in Mathematicis studiis adeo excelluit, ut in suo genere, quo nimirum Aristarchi Paradoxa secutus fuit, facile princeps habendus sit* ----- Præter studium Mathematices fuit vir insigni pietate, virtute spectata, & morum humanitate summa præditus, &c. Boissard. in Icon. In Italiam profectus, Bononiæ Mathematicas disciplinas addidicit, quas deinde Romæ docuit, ubi nullus plane vir hujus Artis cupidus fuit, qui ipsum ut viæ ducem, & facem non agnosceret. Insolitæ huic Matheseos eruditioni perfectam Græcæ linguæ peritiam addidit, morumque innocentiam, quæ omnibus exemplo præire poterat; ut de eo affirmat Isaac Bullart. Acad. Scient. Gall.

Scripsit *Revolutionum libros 6. & Canonem Triangulorum cum tabula*. De Copernico, ejusque doctrina ita Vossius de Mathem. pag. 187. Anno Christi 1536. ac deinceps magnam sui admirationem concivit Nicolaus Copernicus Toruniensis Borussus, Canonicus Warmiæ; cujus habemus de Revolutionibus Orbium Cælestium libros 6. Iis docet, quasdam Ptolemaicas Hypotheses esse absurdas, & axiomatis Mathematicis adversas. Item Computationem Alphonsinam motibus Cælestibus non respondere. Hypotheses igitur aliter constituit: sed sic, ut multa repugnent dogmatibus Aristotelicis per tot secula receptis. Quale est, quod statuit, Solem in centro universi quiescere: terræ, & aquæ globum cum vicino aëre circa Solem motu triplici moveri; octavam spheram consistere immotam. Et p. 188. ----- Nec tamen Copernici opinionem prorsus esse novam putandum; cum illam Philolai, & alteram Heraclidis Pontici, & Ecphanti composuerit, & ex illis duabus fecerit propriam. Ab Ismaële Buliald. vocatur *Vir absolutæ subtilitatis, & Hypotheseos Pythagoricæ antiquæ instaurator*. Franc. Bacon. de Augment. Scient. lib. 4. c. 1. Constat similiter, sententiam Copernici de

Ratione Terræ (quæ nunc quoque invaluit) quia Phænomenis non repugnat , ab Astronomicis Principiis non posse revinci ; à Naturalis tamen Philosophiæ Principiis , recte positis , posse . Vide etiam P. Ramum ; Nic. Fuller. Miscell. Sacr. p.94. Melchior Adam. in Vit. Germ. Philos. Laur. Crassum ; P. Jovium ; atque alios plurimos ; potissimum verò P. Gassendum in Vita Copernici ; qui tandem obiit annos natus 70.

Notandum 1. hîc est , hanc Copernici de Motu Terræ sententiam (quam acerrime deinde propugnarunt Reticus , Rothmanus , Lansbergius , Keplerus , Galilæus , Patricius , Foscarius , Cartesius , Gassendus , aliique) 80. annis ante Copernicum in Italiam invexisse Nicolaum Cusanum Cardinalem S. Petri ad Vincula ; inventionis tamen laudem Copernico tributam fuisse , quod ipsam illustraverit , & ad Cœlestium phænomena explicanda accomodaverit . Vide supra in Philolao in lib. 3. hujus Hist. p. 139. Notandum 2. Copernicum in Mundi centro Solem quidem immobilem locasse ; ejus tamen Sectatores soli motum circa proprium axem tribuisse , qui spatio 27. dierum compleatur , ad Solis maculas explicandas , quæ etiam 27. dierum spatio situm mutant , ut telescopiorum usu ab Astronomis observatum . Notandum 3. Terram , ex Copernico , triplici motu moveri , diurno circa propriam axem , qui 24. horarum spatio absolvitur : annuo circa Solem sub signis Zodiaci : tertio denique motu Terræ axis in eadem semper positione conservatur ; unde & anni temporum , & dierum inæqualitatis ratio redditur .

T Y C H O B R A H E

Nobilis Danus , Othonis Brahe , Knustrop , & Beate Bilde Domini , filius , Chymicæ peritissimus , Mathematicus præstantissimus , natus est Knustropii , sive Knudstropii 3. Decembris 1546. Annum agens 14. cum Solis Eclipsin eodem temporis momento , quo Astrologi prædixerant , evenisse videret ; miram Matheseos vim stupens , hanc scientiam totis viribus addiscere decrevit . Quare Lipsiam ad Jurisprudentiæ studium missus , hac neglecta , Mathesi , suis , & legum Doctoribus insciis , totum se devovit : in quam addiscendam , & exercendam curam omnem , vitam integram , & plusquam bis centum aureorum millia impendit . Italiam , & Germaniam lustravit ; Principibus multis , & Imperatoribus carus fuit ; quorum gratiam , honores , & oblatas exedras contempsit . Verùm à Frederico II. Danorum Rege , Huenæ insula donatus , celebrem ibi ad cœlestium observationes arcem condidit , quæ Uraniburgus , & Uranopolis , hoc est Cœli , vel Cœlestis Civitas dicta est : ubi telescopiorum , aliorumque omnium ad Mathesin spectantium instrumentorum ope , in Astronomicas potissimum observationes totus ac semper incubuit . Tandem post Frederici II. mortem sub Rudolphi II. Imperatoris gratia , & præsidio Pragam venit , ubi mortem obiit die 24. Octobris 1601. ætatis 55. ex urinæ retentione , ut ajunt , quam passus est , dum eodem cum Imperatore curru veheretur ; sive dum ad mensam cum Imperatore assideret , ut vult Thomasinus partè 1. Elog. p. 251. Corporis statura fuit mediocri , flavo capillitio , adpectu pulcro , nisi quod nasi parte mancus , quam gladii ictu amisit : unde nasum aureum , sive argenteum portabat , sed adeò naturali similem , ut pro naturali à multis haberetur . Natura erat biliosus , propositi tenax adeò , ut nulla arte à sua sententia dimoveri posset . Vane etiam superstitiosus erat , itaut , si vetulam domo egrediens offenderet , inceptum iter non prosequeretur , sed domum rediret . Sic etiam si in agrum pergens in leporem incurreret , pro malo omine id habebat .

Scripta ejus sunt: *Liber de Cometa, sive nova Stella. Prælectiones habitæ in Academia Hafnensi. Oratio habitæ in Academia Hafnensi. Progymnasmatum Astronomiæ instauratæ libri 3. Epistolarum Astronomicarum libri 2. Liber Mechanicorum. Epistola de confectione Elixiris. Tabulæ Rudolphinæ. Responsio Apologetica ad quendam Scotum Aristotelicum Philosophum, & Medicum Galenicum. Somnium, Lunarisve Astronomia. Stellarum octavi orbis inerrantium accurata restitutio. Epistola ad G. Peucerum. De Tychone, ejusque doctrina, hæc celebriorum autorum censura est. Vossius de Mathemat. p. 193. Sempiternam sui memoriam literariæ Reip. intulit Tycho Brahe, qui in siderum observatione nulli priorum cessit; inque numero fixarum observando non acquievit Hipparcho; imo Ptolemæi, & Alphonsinorum industriam exsuperavit. Hujus aurei exstant libri Astronomiæ Instauratæ, quibus, ut antea in Ptolemæo Copernicus, ita ipse in Copernico multa correxit. Itaque exinde tres præcipue fuerunt Astrologorum Sectæ; quarum Tychoniana foret media inter Pythagoricam, sive Copernicanam, & Aristoteleam, sive Ptolemaicam. P. Gassendus in Vita Tychonis Brahe lib. 6. p. 181. Astronomiæ, & Chymiciæ studiis maxime incubit: cætera quidem non prorsus neglexit; sed tamen quasi *αδραστη* habuit, nisi quod Poësin tota vita coluit. Id scilicet probant, quæ varia ejus Carmina interjecimus; in quibus cum bona, cum mala, cum mediocria sint (& præter alia quidem nonnulla, in quibus videtur non satis accurate syllabarum quantitas observari) intelligi licet, fuisse eum illa naturæ potius genio, & oblectandi animi causa, quam contentione animi, famæve aucupandæ gratia. Et quidem Tychonis versibus quàm aptissimum esset Martialis illud:*

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.

In Chymia adeo peritum fuisse volunt, ut Chymicis suis remediis plurimos desperatæ sanitatis ægrotos sanos reddiderit, ad id nulla unquam mercede ductus, sed pietate. Scalig. posterior Gall. *Tycho Brahe luculentissimas in Astrologiam observationes elucubravit pro Æquinoctiis. Ad invicem scripsimus. Multa me docuit.* Vide etiam Thuanum ad an. 1601. ubi, ipsum concordibus omnium suffragiis Principis Astronomorum nomen promeruisse, ait; & cum Wilhelmo Hesso, qui in eadem scientia excellebat, arcta studiorum necessitudine conjunctum fuisse. Thomasinum in Elog. Illustr. Vir. ubi asserit, Tychonem in Astronomia peritissimos quosque ad se magnis præmiis allexisse: insignia ejusdem Artis instrumenta impensis vere regiis fieri curasse: & domos magnificas, ac tures ingentes pro Astronomicis observationibus à fundamentis erexisse. Qui vero Tychonis Vitam, & doctrinam penitus scire cupit, adeat P. Gassendum, qui ejus Vitam contexit, & scientiam examinavit.

Quod autem ad ejus Systema attinet, pauca hæc notanda. Cum Ptolemæi Systema ad Astronomiæ phænomena explicanda insufficiens, & erroneum; Copernici verò Ecclesiæ sanctionibus contrarium animadvertisset; novum ipse, ac inter utrumque medium excogitavit, in quo Terram in mundi centro locavit immobilem, circa quam Sol, & Luna volvantur spatio temporis jam cunctis noto: Solem vero, non Terram, reliquorum Planetarum centrum posuit; circa quem scil. Mercurius, Venus, Mars, Juppiter, & Saturnus statum suum cursum absolvant: itaut omnes hi Planetæ Soli quidem concentrici; Terræ tamen essent eccentrici: atque hinc facile ratio reddi possit, cur modò Apogæi, hoc est, à Terra remotiores; modò Epigæi, sive Terræ propiores, videantur, &c. Vide Gassendum loc. cit.

JOH. CAMILLUS GLORIOSUS

Philosophus, & Mathematicus eximius, natus est Neapoli an. 1572. Mathematicis disciplinis præcipue addictus, brevi earum Magister evasit peritissimus. Cum plerisque Philosophis, & Mathematicis sui ævi clarissimis, potissimum vero cum Cremonino, Galilæo, Liceto, & Claramontio, amicitiam iniit; sed literariis de Mathematica re altercationibus inter ipsos obortis, amicitia in æmulationem versa est, singulis de gloria, ac nominis fama, ultra etiam modestiæ fines, contendentibus. Scripserat enim Gloriosus de Cometa an. 1618. Neapoli viso: ejus vero observationibus Licetus contradixit; cui Gloriosus respondit. Controversiæ etiam inter ipsum, & Claramontium fuere non paucæ. Patavium ad Mathematicas scientias vocatus, laudabiliter suo munere functus est. Inde Neapolim rediit, ubi à doctissimis quibusque, Prorege imprimis, honorifice & exceptus, & cultus est. Ex catharro non curato diem obiit 8. Januarii 1643. ætatis 71.

GALILÆUS GALILÆI

Florentinus, celeberrimus Mathematicus, superioribus annis claruit. Patavii disciplinas Mathematicas docuit. Inde Pisas à Magno Hetruriæ Duce vocatus est, à quo singulis mensibus centenos argenteos nummos magnos, quos Laminas vocant, salarii loco accepit. Condidit librum titulo Nuncii Sideris: item Dialogum de Systemate Mundi, in quo sententiam suam de Terræ circa Cæli orbem, nullo agitato motu, conversione aperuit. A Quæstoribus Fidei Romanam vocatus, & palinodiam publicè canere jussus est. Eidem inventionem Stellarum Medicearum tribuunt. Vixit annos 84. luminibus, ut ajunt, tandem orbatus. Konig. Vincentii Galilæi nobilis quidem viri filius fuit, sed ex illegitimo toro natus. Pisas docuit annos tres, Patavii annos 18. Obiisse dicitur à Morery anno 1642. æt. 78. ut in ejus etiam Epitaphio legitur. Ope Tubi Astronomici (cujus adinventor dicitur) in Sole maculas, in Luna umbras, in Saturno, ac Venere phases, in Jove Satellites detexit, aliasque præclaras Astronomicas observationes fecit. Unus ex celeberrima Lynceorum Academia fuit. De ejus Philosophia, & Scriptis, hæc autorum testimonia.

Vit. Hobbian. Auctar. p. 48. *Etsi Galilæus præ aliis ad res Astronomicas impetu quodam ferebatur, in Philosophia tamen Naturali magna cum laude versatus est, & in naturam motus (cui fidem faciunt scripta cedro dignissima) supra antiquos longissime penetravit.* Rapin. Animadv. in Philosophiam sect. 18. Gall. *Inter omnes Philosophos recentiores, qui celeberrimi fuerunt, sunt Galilæus Italus; Bacon, Hobbes, Boyle Angli; Gassendus, Des Cartes Galli; Van Helmont Belga. Galilæus omnium solertissimi ingenii esse videtur. Hinc, meo quidem judicio, Neotericæ Philosophiæ Parens dici potest. Ejus methodus cum illa Platoniorum valde affinis est: jucundus est ejus stylus, &c.* Cartesius part. 2. Epist. Ep. 91. *de Galilæo hæc habet: Ille mihi videtur melius philosophari, quam Philosophorum vulgus, qui, quantum potest, materias Physicas rationibus Mathematicis examinare conatur. Eatenus sane illi omnino adstipulor, & puto, nullam aliam investigandi veri rationem esse, &c.* Hug. Grot. in Ep. ad Vofs. *Vir in omni Mathematicum parte summus, in Philosophia cætera non infimus Galilæus Galilæi, &c.* Vide etiam Acta erudit. ann. 1684. pag. 319. Leonem Allat. in Ap. Urb. If. Bullart. in Acad. Scient. Gall. Vossium de Mathem. L. Crasum Elog. &c. Tanti nominis apud Gallos fuit, referente Allatio loc. cit. ut nonnulli illius tantum videndi causa

iter

iter in Italiam instituerint. Hoc ejus Epitaphii initium: *Galileo Galilei Florentino, Philosopho, & Geometræ vere Lynceo, Mirabilium semper inventorum Machinatori, &c.*

GULIELMUS GILBERTUS

GLocestrensis Philosophus, & Medicus Londinensis, tres amplissimos Commentarios de Natura Magnetis edidit. Quibus magis probavit doctrinam suam, quam Magnetis Naturam. Nam incertior sum, quam dudum. Jos. Scalig. Epist. 200. Et Epist. ad Casaubonum: *Quidam Anglus ante triennium libro de Magnete edito nihil dignum expectatione ea, quam excitarat, protulit. Wolfgangius tamen Lochman. præfix. de Magnet. causam aperit, cur Scaligero Gilberti Philosophia non arrideat, quod scil. Peripateticus cum esset per occultas qualitates philosophabatur; cujus verba sunt: Equidem scio, neminem in hac materia (de Magnetis Natura) sanè difficillima, illum sibi habere parem. Nam quod alii vix attingunt verbo, illud Gilbertus noster amplissime diduxit, & ab ovo quasi rem inchoavit, & clarissime, ac acutissime explicavit. Scaliger quamvis cætera alia subtiliter, tamen non satisfacere potuit rei veritati in hac quæstione. Ad occultas qualitates cum cæteris provocat Philosophis. Verùm ignorantibus nihil non occultum, & absconditum est. Laudatur etiam ab aliis, ut à Francisco Bacon pluribus in locis, præcipue ubi ait: Gilbertus nostras cum Naturam Magnetis laboriosissime, & magna judicii firmitudine, & constantia, nec non experimentorum magno comitatu, & fere agmine perscrutatus esset, confinxit statim Philosophiam consentaneam rei apud ipsum præpollenti. Rapinus Animadv. in Physicam §. 9. Gall. Gilbertus melius quam cæteri Magnetis experimenta elucidavit. Et quidem tanti eum faciebant eruditi, ut dolere Peireschius soleret, non agnitos sibi Gulielmum Gilbertum, autorem libri de Magnete, nec Thomam Lydiatum celebrem Mathematicum; ut advertit Gassendus in Vita Peireschii, ubi magni Gilbertum facit. Vide plura apud Carpent. Geograph. lib. 1. c. 3. Digby Tract. de Corpor. c. 20. Nic. Fuller. Miscell. Sacr. lib. 4. c. 19. Isaac Barrov. Opusc. p. 87. &c.*

Quod autem ad ejus Philosophiam attinet, notandum, ipsum ex Copernici secta fuisse, atque ideo Terræ (quam Magnetem magnum, contra vero Magnetem Terrellam, seu parvam Terram vocavit) motum tribuisse circa proprium axem. Hinc Joh. Ovven in ipsum sic ludit:

Stare negas Terram. Nobis miracula narras.

Hæc cum scribebas, in rate forsitan eras.

Quod Gilberti systema ita paucis expressit Gassendus in Vita Copernici p. 331. *Hæc Copernicana Hypothesis ansam præbuit Gulielmo Gilberto, Anglo, cudente, atque invehendæ Philosophiæ Magneticæ, quatenus Terram magnum Magnetem, & Magnetem Terrellam, quasi parvam Terram habuit; ac à diurna Terræ circa suum axem verticitate penacere eam, quæ est in Magnete, magneticisque corporibus statuit.*

JOH. BAPTISTA APERTA

Neapolitanus, Philosophus, Mathematicus, Medicus, Astrologus, & Physiognomicus sui ævi celeberrimus fuit. Ad ipsum audiendum ne dum Itali, sed Galli etiam, & Germani, aliique undique confluebant. Astrologiæ Judiciariæ dictæ, & Magiæ, quarum studio summopere delectabatur, & per quas humanorum eventuum futura prædicere consueverat, usum ei Romana Cu-
ria

ria interdixit. Neapolitanæ Academiæ, quæ *Ociosorum* appellabatur, fundationi multum tribuit. Suam verò Academiam domi habebat peculiarem, *Secretorum* dictam; cui nemo adscribebatur, nisi qui aliquod in natura secretum detexisset, vel novum aliquod inventum expertus esset. Mortuus est an. 1615. æt. 70. Præter Comœdias plusquam 30. & Tragœdias ab eo conscriptas, Philosophica ejus Opera sunt: *Magia Naturalis*. *Elementa Curvilinea*. *De Distillatione*. *De Ziferis*. *De Occultis literarum Notis*. *De Refractione Optices*. *De Aëris Transmutationibus*. *De Munitione*. *Della Fisonomia dell' Uomo*. *Della Fisonomia Celeste*. *Villæ lib. 12*. *Pneumaticorum lib. 3*. *Phytognomicorum lib. 8*.

FRANCISCUS BACONIUS

Verulamii Dominus, Vice-Comes Sancti Albani, summus Angliæ Cancellarius, nobili genere natus est Londini in Palatio Eboracensi 22. Jan. 1560. Nobilior tamen fuit ex insigni omnium fere scientiarum eruditione. Jurisprudentiam vel invitus didicit. Mathematicis vero, & Philosophicis disciplinis ex naturali animi propensione addictus, tantum in eis profecit, ut nulli sui temporis secundus evaserit. Cum in Anglia lites de Religione exortæ essent, ut de ipsis recte decernere posset, Theologiæ etiam operam dedit; & quamvis Protestantis sectæ esset propugnator, de Romano tamen Pontifice, & Catholicis, mirum quam religiose, & modeste locutus sit. Unde Jurisconsultus, Poëta, Historicus, Philosophus, & Theologus existens, suis Principibus carus, literatis omnibus mirabilis factus est. Præter reliquos honores, quibus insignitus fuit, totius Angliæ Cancellarii dignitatem, quam suus etiam Pater Nicolaus exercuerat, & ipse obtinuit. Facies ei severa, gressus, & actus gravis; honestus tamen, & liberalis adeo fuit, ut moriens vix, quo cadaver efferretur, domi reliquerit. Et quidem paulo ante mortem ob liberalitatis excessum in magnam inopiam redactus, epistolam, miseratione dignam, ad Jacobum I. Angliæ Regem dedit, qua ipsum rogavit, ut extremæ suæ vitæ diebus ei succurreret, veritus, ne aut ostiatim victum sibi quærere, aut ex literarum studiis vivere cogeretur, qui eousque vixerat, ut studeret. Obiit an. 1626. æt. 66. in Villa de Highgate prope Londinum.

Scripta ejus celebriora sunt: *De Sapientia Veterum*. *De Naturali, & Universali Philosophia*. *Novum Organum Scientiarum*. *De Dignitate, & Augmentis Scientiarum*. *Sylva Sylvarum, sive Historia Naturalis*. *Historia Ventorum*. *Historia Regni Henrici VII*. *Sermones Fideles, &c.* Ejus *Judicium de Philosophis* extat etiam apud Stanlejum *Hist. Philos.* p. 657. De eo ita Autores.

Jonsius de *Script. Hist. Philos.* lib. 3. cap. 27. - - - Primus tempestatis illius *Philosophiæ* imperfectionem adspiciens, ejus reformationem suscepit. Hinc de *Augmentis Scientiarum* librum edebat, ab omnibus maximo cum applausu exceptum, in quo præter alia omnem *Historiam literarum, & Philosophiæ*, solidioris sapientiæ studiis deditis maxime commendabat, inculcabat. Idem libro profuit, quem de *Sapientia Veterum* scripsit, in quo *Mythologicam Veterum Philosophiam* nobis exposuit. Eidem Regiæ Societatis initia etiam debentur - - - Omnia ejus Opera uno volumine, quæ extant, *Philosophica, Moralia, Politica, Historica cum Vita (Baconii)* ab anonymo descripta (cujus autor Henning. Wittenius, teste Placcio in *Theatro* (ultima vice *Frankofurti ad Maen.* 1665. fol. prodierunt. Buddeus in *Hist. Philos.* succincta delineat. p. 79. *Seculo 17. ineunte nova lux Philosophiæ orta est, præsertim in scientia Naturali. Exemplum omnibus præbuit Franciscus Baco de Verulamio, qui ut*

missis

missis illis abstractis, & ociosis speculationibus ad particularia descenderent, experimentaque instituendo, naturam rerum accuratius contemplantur, omnibus autor fuit. Hujus ductum cum multi sequerentur, dici non potest quanta ad accuratiorum Philosophiam facta sit accessio. Causa autem, cur Aristotelis Philosophiæ non acquieverit, non odium in Aristotelem; sed Aristotelis Philosophiæ insufficientia ad naturalia explicanda, dicitur in ejus Vita his verbis: *Illi Aristotelica Philosophia insipida visa fuit, non propter vilipendium Autoris, quem summis semper laudibus evehere in more habuit, sed propter inefficacitatem viæ: ejusmodi nimirum cum esset hæc Philosophia, quæ ad disputationes, & contentiones solum nata, ad productionem autem operum, quæ vitæ humanæ commoda essent, sterilis omnino esset.* Inter ejus Opera, quæ cæteroque commendabilia omnia, in Ephemeridibus Erudit. Gall. 8. Martii 1666. præcæteris commendatur ejus *Novum Organum*, quod novam Logicam docet; cujus præcipuus scopus est bonam Inductionem contexere, sicut Logicæ Aristotelicæ finis principalis est bonum efformare Syllogismum. Hoc opus ab Autore ipso, omnium exquisitissimum semper habitum est; in quo scilicet elaborando octodecim annos insudasse perhibetur. Vide etiam, præter Vitam ejus Operibus additam, Gassendum in Vita Peireskii lib. 6. p. 237. Whear. in Mech. Leg. Hist. Civil. Grotium in Epist. ad Maurerium. Joh. Boacler. de Eloquent. Politici. Sam. Pufendorf. Specim. Controvers. c. 1. sect. 5. Rapin. in Animadv. in Philos. sect. 18. & in Ethic. sect. 9. & in Phys. sect. 9. Burnett Hist. Reform. Par. 2. lib. 3. & in Præfat. in Utopiam Mori. Herman. Conringium, cujus hoc extat distichon in Baconii effigiem:

*Magnus honore tuis, sed major, Baco fuisti
Ingenio, atque hausis: ars tibi sola deest.*

ATHANASIUS KIRCHERUS

Fuldensis in Germania, Soc. Jesu, Philosophus, Mathematicus, & plurimum linguarum peritissimus fuit. Ferdinando II. Imp. regnante, Gustavus Adolfus Sueviæ Rex ingenti cum exercitu bellum Germaniæ intulit an. 1631. quare Kircherus in communi propria etiam pace turbata, profugus Avenionem, Galliæ urbem, petiit; ibique Opus edidit, cui titulus *Primitiæ Gnomonicæ Catoptricæ*, editis prius an. 1629. *Prelusionibus Magneticis*. Inde Romam linguarum Professor venit, ubi libros omnes eousque concinnatos evulgavit; atque ut Summo Pontifici Innocentio X. gratum faceret, *Obeliscum Pamphiltum*, de Pontificis Cognomine sic appellatum, eruditum quidem Opus confecit.

Ejus Opera, præter dicta, sunt *Prodromus Coptus*. *Specula Melitensis*, opus *Physico-Mathematicum*. *Ars Magnetica*. *Dictionarium linguæ Ægyptiacæ*. *Ars Magna Lucis, & Umbræ*. *Musurgia Universalis*. *Œdipus Ægyptiacus* 4. tomis comprehensus; hoc est, *Templum Isiacum*; *Schola Ægypt. Symbolica*: *Encyclopædia Ægypt.* & *Theatrum Hieroglyphicum*. *Itinerarium Exstaticum in Cælestes Globos*. *Iter secundum Exstaticum in Mundum Subterraneum*. *Scrutinium Physico-Medicum de Peste*. *De Crucibus Neapolitanis Diatr.* *Mundus subterraneus*. *Ars Magna sciendi, &c.* *Iter Hetruscum, &c.* *China illustrata, &c.*

De Kirchero ita Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 29. *Nec ignoremus, eadem ætate fuisse Athanasium Kircherum, celebrem suis operibus, quibus occultam istam, & reconditam Ægyptiorum Philosophiam præcæteris, qui in eo studio hætenus versati fuerant, restituere conatus est. Nonnulla quoque, ni fallor, quæ ad Brachmanum literaturam, & studia faciunt, Kircherus in China sua Illustrata tradidit. Prodiit, &c.*

JOH. ALPHONSUS BORELLUS

Philosophus, & Mathematicus celeberrimus, Neapolis nostræ decus ingens; ubi natus est 28. Jan. 1608. Philosophiam, & Mathesin, quibus summa, & unica animi contentione semper studuit, Florentiæ, (ubi Mediceorum Familæ gratiosus semper fuit) Pisis, aliisque celebrioribus Italiæ locis, publice, & laudabiliter docuit. In ultima vitæ suæ periodo Romam secessit; ibique in Clericorum Regularium S. Pantaleonis Monasterio Religiosorum more & vixit, & obiit ex pleuritide die 31. Decembris 1679. A Borrello omnis Physico-Mechanica Philosophia, & Medicina processit, quam hodie ne dum nostrates Philosophi, & Medici, sed exteri fere omnes sectati sunt; omnia tum Medica, tum Physica Phænomena per Motum, & Materiam variè figuratam, ac vario, diversoque modo agitatum, explicantes: quæ Principia sunt Physico-Mechanica dicta, phænomenis explicandis aptissima.

Scripta ejus sunt: *De Rerum usu judicium. Tractatus de vi percussione. Responso ad Censuras R. P. Honorati Fabri contra librum Autoris de vi percussione. De Motibus Naturalibus à Gravitate pendentibus. De Motu Animalium.* Opus posthumum, sed præclarum.

ROBERTUS BOYLE

Eques Anglus nobilissimus, quartus Richardi, primi Comitum de Cork, filius, genere quidem clarus, clarior tamen scientiarum fere omnium eruditione fuit, ut qui *παρρησιας* & dici mereatur, & haberi. Enimverò ne dum Matheseos, & Medicinæ partes omnes, Historias, Chymiam, Theologiam, Rabinorum, & SS. Patrum doctrinas, in Religione Controversias, Philosophiam tum Theoreticam, tum Practicam, & quæ ad sacram, profanamque eruditionem spectant, optime callebat; verum etiam omnibus moralibus virtutibus ornatissimus erat. Plures annos sacrorum Librorum lectioni, penitentiore considerationi totum se devovit; quos ut melius intelligeret, Græcam, & Hebraicam linguam didicit. Omnia pietatis studia coluit; mendacii, obtræctationis osor, silentium adamabat, ne linguâ sibi, vel aliis noceret. De cunctis bene sentiebat; nec eum aut generis nobilitas, aut sapientia tumidum, superbum, sui plenum unquam fecit, sed contra humilis, honestus, hilaris semper visus est. Deo quotidie ferventiori spiritu se commendabat; cui, ut Naturæ Autori, omnia in naturalium veritatum inquisitione studia referebat; non aliud ex ipsis consequi exoptans, quàm ut clarior, ac perfectior Dei majestatis, sapientiæ, gloriæ, & bonitatis idea in sua, aliorumque mente oriretur; idemque ut facerent reliqui Londinensis Regiæ Societatis Professores, quique omnes in naturalium veritatum notione laborabant, summopere commendabat. Omnia igitur studia non nisi ad solam Dei gloriam, & hominum utilitatem faciebat, & ab aliis fieri curabat. Pauperibus multa aureorum millia quotannis erogabat. Quamvis autem Anglicanæ Ecclesiæ addictus, tanto pro Christianæ Religionis propagatione ardore tenebatur, ut Sacra Biblia, & Grotii librum de Religionis Christianæ Veritate, in Turcarum, Arabum, & Indorum linguam verti, atque edi curaverit; ita ut annuos suos redditus, qui ad plura aureorum millia erant, omnes, exceptis paucis frugalissimæ suæ vitæ necessariis, Christianæ Religionis per libros, & concionatores propagationi, & egenorum alimentis destinaverit. Quæ omnia digniora essent, quæ de tanto viro commemorarentur, si tot virtutibus, quibus ornatus erat, Catholicæ Religionis lumen accessisset.

Corpore, & temperamento debilis, lithiasi, sive calculi doloribus obnoxius fuit; vitamque traxit summa victus frugalitate, ea omnia vitando, quæ calculi dolores ultra suas patientiæ vires possent producere: sicque semper non voluptati vixit, sed necessitati. Chymicæ, & Mechanicis experimentis, atque inventionibus totus erat addictus: utramque tamen scientiam non ad avaritiam, aut jaçantiam profitebatur; sed ut quid in ipsis veritatis, & utilitatis esset, dignosceret, & ad Dei gloriam hominibus communicaret. Tandem paucis post sororis obitum diebus, laboribus magis, quam ætate confectus, fato concessit die 30. Decembris 1691. Vide Morery sup. & Burnetum Episcopum Salisburiensem in Orat. Funebr. pro Boyle.

In Scriptis ejus, quæ 4. Vol. in 4. comprehenduntur, hæc habentur: *Nova Experimenta Physico-Mechanica de vi Aëris elastica, & ejus effectibus. Defensio Doctrinæ de Elatere, & Gravitate Aëris, propositæ in Novis Experimentis Physico-Mechanicis adversus Objectiones Francisci Lini. Tractatus de mira Aëris (etiam citra Calorem) Rarefactione: de Duratione virtutis Elasticæ Aëris expansi: de Condensatione Aëris solo frigore facta, ejusque Compressione sine Machinis; & de ejusdem Quantitatis Aëris rarefacti, & congressi mire discrepante Extensione. Paradoxa Hydrostatica, novis Experimentis maximam partem Physicis, & facilibus, evicta. Tentamina quædam Physiologica: Quibus subjungitur Specimen Physico-Chymicum de Differentibus partibus, & Redintegratione Nitri; necnon Historia Fluiditatis, & Firmitatis, ut & Tractatus de absoluta Quiete in Corporibus. Chymista Scepticus, vel Dubia, & Paradoxa Physico-Chymica circa Spagiricorum Principia, vulgo dicta Hypostatica, prout pugnari solent à turba Alchymistarum. Experimenta, & Considerationes de Coloribus, & speciatim de Natura Albedinis, & Nigredinis, cum Observationibus de Adamanto in tenebris lucente. Introductio ad Historiam Qualitatum Particularium: subjunctis Tractatibus de Cosmicis rerum Qualitatibus, de Suspicionibus Cosmicis, & de Temperie subterranearum, de Temperie submarinarum Regionum, & de Fundo Maris. Exercitationes de Atmosphæris Corporum consistentium, deque mira subtilitate, determinata Natura, & insigni vi Effluviolorum: subjunctis Experimentis novis, ostendentibus, posse partes Ignis, & Flammæ reddi stables, penderabilesque: unâ cum detecta Penetrabilitate Vitri à Ponderalibus partibus Flammæ. Specimen de Gemmarum Origine, & Virtutibus. Scripsit præterea alia multa ad eruditionem, & Religionem spectantia.*

CLAUDIUS PERRAULTIUS

Petri, celebris caussarum Patroni, sive Advocati, filius, Medicus, & Regiæ Academiæ Scientiarum socius, Parisiis natus an. 1613. magnam sibi famam, & gloriam editis suis Physicis, & Mechanicis Operibus acquisivit. Horum præcipua sunt: *Essais de Physique. Memoires pour servir à l'Histoire naturelle des Animaux, dressés sur les dissections faites dans l'Academie des Sciences. Traduction de Vetruve avec de Notes savantes. Abregé de Vetruve. Ordonnances de cinq espèces de colonnes selon la methode des Anciens. Recueil de plusieurs machines.* Obiit 9. Octobr. 1688. æt. 75.

Perraultio tres fratres fuere, literis & ipsi præclari; quorum nato maximus PETRUS PERRAULTIUS Tractatum de Origine Fontium scripsit: Italicum etiam Tassii Poëma, cui titulus: *La Secchia rapita* traduxit. Secundus NICOLAUS PERRAULTIUS Doctor fuit Sorbonicus, & Tractatum de Theologia Moralibus